John Carter Brown
Library
Brown University

Libellus Geographicus,

LOCORVM NVMERANDI INTERVALLA RATIONEM IN LINEIS rectis & Sphæricis complectens: in Academia inclyta Tubingenſi collectus & dictatus

à

M. SAMVELE SIDEROCRATE BRETtano, *Mathematum ibidem Profeſſore publico.*

Additæ ſunt locorum præcipuorum totius orbis terrarum longitudines & latitudines, ſecundum ordinem Alphabeti diſpoſitæ, vná cum tabula Sinuum.

TVBINGÆ APVD VIDVAM
Vlrici Morhardi, Anno à Chriſto nato.
M. D. LXII.



IN INSIGNIA CLARIS-
ſimi uiri nobilitate generis & uirtute excellentis D. *Andreæ Zehent-
neri à Zehentgrub, Cæſareæ Maieſtatis conſiliarij, Carmen
D. Stephani Culingij Poëtices Profeſſoris exi-
mij Inclytæ Academiæ Tubin-
genſis.*

Aſpice virtutis quæ ſint monumenta vetuſta
    Vnde Zehentneri gens habet omne decus.
Inſignem galeam ſtellis hinc inde micantem
    Quam fulgens gemma dite corona tegit.
Quatuor in partes mutato ſydere & herba
    Diuiſus clypeus nomen & omen habet.
Nam viden' vt volitent alis ſuper æthera binis
    In cœlumq́ue virum Sydus & herba ferant.
Scilicet ex nigro virtus ceu ſtella refulget
    Et gratos ſummis regibus eſſe facit.
Mox ad conſpicuum ſi quem deduxit honorem
    Inuidiæ virus nobilis herba fugat.

VIRI CLARISSIMI, D. M. MARTINI CRVSII, GRAEcæ linguæ & Rhetorices Profeſſoris eximij, Epigrãma.

Ἦ μάλα κηλοῦμαι νόον· ὁππότε φωτὸς ἀκούω,
δηρὸν ἑκὰς πλαγχθέντος ἀνὰ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν·
ὅσσα μετῆλθε καὶ εἶδε, πιφαυσκομένου τὰ ἕκαστα.
Οὐ κάμνοιμι κλύων, κὴν ἠὼς ἐς δύσιν ἔλθοι.
Αἰδοῖος δ' ὅγ' ἐμοί· τίω δέ τε γνῶσιν· ἰδ' ἀλγῶ,
μὴ κ' αὐτὸς δολιχῆς γεγονὼς συνοπαδὸς ὁδοῖο.
Καὶ μὴν ἱστορέειν ἔτ' ἐὼν νῦν πάντα θέλοιμι·
ἔθνεά τ', ἠδὲ πόλεις, μέροπάς τε, καὶ οἴδματα πόντου.
Ἀλλ' οὐχ, ὧν γλιχόμεσθα, τυχεῖν ἔξεστιν ἅπασιν.
Οἶον ἐμοί, δύναμις δαπανᾷν πόθι τόσσα παρείη;
Πῶς δὲ τὸ δῶμ' ἀκυβέρνητον τὸ μεταξὺ λίποιμι;
Πῶς τόδε σωμάτιον μόχθοισί κε τρηχέσιν ἀρκοῖ;
Δηϊόῳεν δὲ τυχὸν καὶ λῃσταὶ νηλέϊ χαλκῷ·
ἢ βρύχιος νεπόδων ἁλίων ἀνάλωμα γενοίμην·
ἠὲ μετ' ἀλλοδαποῖσιν ἀεικὲς δούλιον ἦμαρ
ὀτλεύοιμι, φίλην γῆν πατρίδ' ἀνήνυτ' ἀναυδῶν.
Οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφιν·
(Ἀσκραῖος σοφὸς εἶπ') ἄλλως τε, καὶ ὅττι νόησα,
τοῖον, ἄλην ἥκιστά γ' ἑκόνθ' ὑποδῦντα τοσαύτην·
ἀλλ' ἀπαραιτήτου στιβαρῆς ὠσθένθ' ὑπ' ἀνάγκης.
Τὸν δ' ἐμὲ τίς χρειὼ, πᾶσαν περὶ γαῖαν ἀλᾶσθαι;
Οὔρε' ὅπως ὑψηλὰ βλέπω, βαθέας τε φάραγγας;
Ὑψικόμους ὕλας, ποταμούς θ' ἅλαδε προρέοντας;
Κώμας καὶ πόλιας, χθόν' ἀρηρομένην καὶ ἄεργον;
Ἐγγυτέρω τάδ' ὁρᾶν, παρά γ' ἄμμιν, ἔνεστι τὰ πλεῖω.

Τὴν

Τὴν δ' ἄρ' ἀμαιμακέτην ἅλα, φῦλά τε βάρβαρ' ἀπηνῆ,
κρεῖττον ἀλυσκάζειν, ἢ νηπιέηφιν ἐπελθεῖν.
Ἃς δ' ἂν ἐελδοίμην ὁράαν χωρῶν πέρι πασῶν,
Ἑλλάδ' ἰνδαίην τ' ἀνθεύσας, ὡς τὸ παλαιόν:
τὰς δ' ἀλάπαξεν ἀμαλδυνώσκε τε φοίνιος ὕβρις:
ὡς νῦν οὐδ' ἴχνος βραχὺ τῶν πρὶν κύδεος εἶναι.
Ὧς ἐπεὶ οὐ δύναμαι, οὐδ' αὖ πλανάεσθαι ὀφέλλω:
ἄλλης ἀτραπιτοῦ πειρήσομαι: ἄλλα κέλευθα
διζήσω: σφαλερῶν σοφὸν ἀντάλλαγμα πλανάων.
Ὅσσα Γεωγραφικαῖς πινάκεσσι βίβλοις τ' ἐνέθηκαν
ἀκάματοι μουσῶν θέραπες, πολύπειρος ὅμιλος:
ταῦτ' ἄρ' ὑπωρόφιος μετελεύσομαι: ἥμενος (ὡς εὖ.)
κρυμοῦ ἄτερ, θάλπους τε, τρίβοιό τε παιπαλοέσσης:
οὐ δεδιὼς ἐνέσπας ζυγὰς, οὐ πόντοιο θυέλλας:
οὐκ ἀμέτρως ἀνχλῶν, οὐ τρύχων σῶμα δύῃσιν:
οὐκ ἀμελῶν μεγάρων, οὐ δουλοσύνῃ περιπίπτων:
ἀλλὰ μεθ' ἡσυχίης διοδεύων ἠδέϊ θυμῷ:
ὅσσην οὐ θηήσατ' ἀνὴρ ὁδὸν ὀφθαλμοῖσιν:
οὐκ ὄρνις ταχινῆς πτάμενος τέλεσε πτερύγεσσιν:
οὐ νηῦς ὠκυτάτης μεμαῶσ' ἀνύσασκ' ὀθόνῃσι:
καὶ τόδ' ἅπαν θείοιο ὑπηρεσίῃσι νόοιο:
πανταχόσ' ἐκπάγλως θρώσκοντος ἅμ' ὄμματος ὁρμῇ.
Ὄφρα δὲ κουφοτέρη μοι ἀταρπιτὸς ἥδε πέληται:
βρώματα προσηνέων, ψυχῆς μενοεικέα φορβήν,
κλεινὰς ἱστορίας Ἑλλήνων ἠδὲ Λατίνων,
ἐγκαταμίξω τῆς οἴμου σταθμοῖσιν ἑκάστοις.
Οὔπερ ἵν' ἀτρεκέως γνῶναι, ὡς ῥεῖα, δύνωμαι:
εὖ με Σιδηροκράτης ἐνὶ βίβλῳ τῇδε διδάσκει.
μέτρα Σιδηροκράτης πολίων τε, διαστάσιάς τε
χωρῶν, εὐρείας μήκιστά τε τέρματα γαίης,
οὐδὲν ὁδοιπορίης ἐπιδευομένῳ πολυκηδοῦς,
εἰδυίῃσι διὰ ψήφων δείκνυσι φρένεσσιν:
ἠδὺ φάος χρηστόν θ' ἱεροῖσι γραφῇσι, καὶ ἄλλαις.

Εὖ διάγοις ἐσαεὶ, Σαμουῆλε φίλ᾽. Αὐτὰρ ἔγωγε
ἐς πινυτὴν ἀπράγμον᾽ ἀκίνητόν τε χρείην
στήσας μεθόδους κεκταμένος, οὐκέτ᾽ ἔπειτα
αὐτόπταις πολλῶν χώρων ἀνέρων τε, μεγήρω.

τέλος.

MAGNI.

MAGNIFICO VIRO, NOBILITATE GENERIS, SAPIENTIA, PIETATE AC VIRTVtibus excellenti D. Andreæ Zehentnero à Zehentgrub Cæſariæ Maieſtatis Argyrobulo & Conſiliario Celeberrimo, Domino & Mecœnati ſuo Colendo

M. Samuel Siderocrates Brettanus.
S. P. D.

PErquam iucunda eſt & ſuauis in Argonautico Carmine narratio: qua Heroum exercitus Colchicam fugientis claſſem deliberatio de via declinandi, fallendiq́; hoſtes inſequentes ob oculos ponitur. Inter reliquos enim quiſpiam, vt multarum noticia rerum inſtructior, conſulere in medium introducitur: non recta, qua venerant antea, ad Helleſpõtum, via eſſe proficiſcendum: ſed longè ſupra oſtium eſſe Iſtri, ad quod tutus pateat aditus: ac alibi ex Iſtro accedendi ad Mare Adriaticum opportunitatem eſſe relictam. Huius conſilij ſui hanc adducit cauſam: totius terrarum orbis ſe ambitum, metas, & ſitum, Oceani magnitudinem, maris in terras infuſi ſpacia, fontes fluminum & curſus, Regionumq́; diſtantias, vrbium præcipuarum loca, cœli deniq́; & ſtellarum figuras vidiſſe pictas in tabulis: quas veteres Ægyptij vltimas terræ me-

tas

Vſus mapparum et aliarum tabularum Geographicarum.

tas circumuecti artificioſè pingi, inq́ꝫ templis & arcibus firmiſſimis collocari curauerint. Etſi uero hæc narratio, vt in pœmatibus fieri conſueuit, fabuloſa eſſe videtur, tamen hæc à veritate minimè abhorreunt: Antiquitatem de terræ magnitudine ac metis, regionum, locorumq́ꝫ interuallis, motibus & effectibus ſiderum ſcientias ſtudioſe indagaſſe, illuſtraſſe & ad poſteros tranſmiſiſſe, & quidem ſtudia huius ſapientiæ præcipua non in Ægypto ſolum extitiſſe, ſed etiam in Chaldæa, Phœnicum ciuitatibus & vicinis locis, vbi ante et poſt diluuiũ uniuerſale primi homines ſapientiſſimi ſemina ſparſerant, non aliter ac frugum ſemina Triptolemus in Græcia diſſipaſſe fertur. Etenim fons omnis & bonitatis & ſapientiæ mundi opifex, cum ex terræ limo effingeret hominem, non modo præſens præſentis in mentem ſuæ lucis & ſapientiæ radios transfudit, ĳsq́ꝫ eam ita illuſtrauit, vt pulcherrimi mundi domicilĳ ſtructuram, et cauſas extructionis & rerum omnium conditionis rectè intelligeret, ſed etiam ſua illam voce erudiuit, rerum creationis conſilium coram eo poſuit, & poſteris tradendam præcepit, vt ipſum Deum mentem æternam, ſapientiæ, bonitatis & virtutum omnium fontem auguſtiſſimum, & propter hoc ſummũ creationis beneficium perpetuò ſe obligatos eſſe ad celebrationem, inuocationem & cultum

nominis

nominis & maieſtatis ſuæ cognitū, perſpectumqꝫ
haberent. Pater enim cœleitis, vt bonus, ita ſui
communicatiuus non in æternum ſolus ſua frui
voluit bonitate & ſapientia: ſed in arcano Maie-
ſtatis ſuæ conſilio, cum filio ſuo coæterno & Spi-
ritu Sancto deliberauit, de cōdendo ad imaginem
ſuam & ſimilitudinem homine, cui ſapientiæ ſuæ
infinitæ, & virtutum igniculos aliquos commu-
nicaret, & hoc beneficio ingenti viciſſim ſuæ pie-
tatis & gratæ mentis declarādæ officio deuinctus
eſſet. Fulſit igitur in mente Adami illuſtris nō ſo-
lum de Dei eſſentia vna, & eius tribus hypoſtaſi-
bus noticia: ſed multò magis ordinem rerum con-
ditarum, & totius ædificationis conſilium, abdi-
tas rerum proprietates & δυνάμεις, ſiderum motus
certos, conſtantes leges & effectus, terræ, ſedisqꝫ
ſuæ magnitudinem, metas, aliaqꝫ omnia penitus
introſpexit & cognouit. Cum enim coæternus
Dei Filius λόγος καὶ εἰκὼν ἀΐδιος πατρὸς præſens, ea hominis
forma, quam certo aſſumpturus erat tempore, A-
damum condiderit, & dulciſſima ſua voce collo-
quioqꝫ eundē erudiuerit: multis de cauſis ipſum a-
nima & corpore nobiliſsimum omnium hominum
fuiſſe neceſſe eſt. Ab hoc igitur homine, ceu fonte
quodam perenni, promanarunt omnis generis ar-
tes, & diſciplinæ, in primis vero illæ ſublimiores
de cœli & aſtrorum motu & effectu, terræ magni-

B tudine,

tudine, numeris, figuris & reliquis eius generis. Etenim, cum demptis ſeptuaginta, annos mille vixerit: poſteritatem ſuam numeroſam, licet paucæ in ſacris fiat mentio, non modo de Deo, præſtantia hominis, humanarum calamitatũ & mortis cauſis, lapſu ſuo, reconciliatione cum Deo, cultibus & obedientia ipſi præſtandis docuit, verumetiam diuinitatis veſtigia hominum impreſſa mentibus, numerorũ & legis noticiam monſtrauit: aliaq́ꝫ multa de Deo teſtimonia in ordine motuum cœleſtium, poſituq́ꝫ & figura mundi corporum oſtendit: ac quo in terræ loco, quibus edita teſtimomonijs ſit vox diuina de promiſsione miſsionis & incarnationis filij mediatoris monuit. Huius rei teſtimonium præbet certum antiquus rerum Iudaicarum deſcriptor Ioſephus: qui lib. i. cap. ij. Sethum, eiusq́ꝫ poſteros, cum vniuerſalem rerum interitum Adamum prædixiſſe ſcirent, excitatis duabus columnis ſideralem ſcientiam, & cœleſtium rerum cognitionem inſcriptam reliquiſſe literis prodidit: vt etiam poſt diluuium hominibus diſcendi copia non erepta foret. Hos ergo nepotes primi parentis doctrinam, resq́ꝫ geſtas ſonantes Noha audiuit: & quicquid ſolidioris habuit eruditionis, hoc omne ab ijs hauſiſſe conſentaneum eſt. Nam Mathuſalemum inter Adamum & Noham medium vtrumq́ꝫ vidiſſe, ac vtriuſq́ꝫ vſum

conſue-

conſuetudine, dulciſsimaq́ familiaritate, non He-
bræorum modò antiquæ traditiones, ſed & ipſa
ratio & documenta quędam monſtrare videntur.
Etenim exquiſita veraq́ tęmporis fidē facit ſuppu-
tatio, anno ante inundationem generalem Mathu
ſalem è viuis exceſsiſſe, prodijſſe vero hanc in lu-
cem, agente magno illo ſatore humaniq́ generis
parente vitæ ſuæ annum ſexcenteſimum octo-
ageſimum: vt annos ducentos quadraginta
tres ipſius frui conſuetudine, colloquioq́ Ma-
thuſalemus potuerit. Noha vero familiariter vti
ipſo Mathuſalemo plus quingentis ante diluuium
annis potuit. Quare manifeſtum ex his euadit, No
ham ante diluuium omnia vel vidiſſe, vel audiuiſ-
ſe, omnemq́ ſuam percepiſſe eruditionem à pri-
mis humani generis luminibus. Teſtatur autem
Ioſephus libro i. cap. iij. & Aſtronomum & Geo-
metram fuiſſe: & Beroſus Ioſepho antiquior lib.
iij. ſcriptum reliquit: Noham aſtrorum nouiſſe
curſus, & diſtinxiſſe annum ad Solis motum, men
ſes duodecim ad Lunæ curſum: hacq́ prædixiſſe
ſcientia ab initio, quid in anno, cardinibusq́ eius
futurum eſſet: & ob prædictiones veras ab Arme-
nijs, apud quos arca conſederat, diuinæ naturæ
participem eſſe habitum. Hanc ergo ſuam prodi-
dit, & communicauit liberis ſapientiam: à quibus
deinde in omnes ferè terræ partes promanauit.

Adamus.

Noha Astronomus et Geometra

Noha secundum Berosum Astrologus.

Abraham enim annis plus quinquaginta, antequã ex hac migraret vita Noha, natus eſt. Quapropter, non tantum cum aliquo filiorum Nohæ, ſed etiam cum ipſo patre amicitia & familiaritas Abrahæ intercedere, ac ab ijs de Deo doctrinam & humanam conſequi potuit ſapientiam. Scribit enim Ioſephus lib. i. cap. vij. & viij. etiã de Beroſi ſententia, Abraham primum numerorũ ſcientiã & ſiderũ benignè cõmunicaſſe Ægyptijs: qui ſummam deinde operam in ſtudia Mathematum collocarũt. σύγχρονος ipſi Abrahæ & Nohæ fuit Iob pietate & ſapientia excellens: à quibus ſine dubio non in diuina ſolũ, ſed humana etiam philoſophia doctus & iuſtructus fuit. Nam mentionem facit ſtellarum Arcturi, Orionis & Hyadum: quæ nõ obſcurè cœlo deditum fuiſſe Iobum teſtantur. Abrahamũ autem eandem filijs & nepotibus inſtillaſſe ſapientiam ſuam, teſtimonium præbet Ioſeph filius ad ſummæ ſapientiæ, potentiæ ac authoritatis culmen euectus: qui ſanctorum patrum de Deo doctrinam & hanc Mathematicarum rerum ſcientiam in Ægypto ſonuit & ſparſit: vt in ea regione ac locis vicinis Paleſtinæ & Phœniciæ ad noſtra usq; tempora manſerint hæ diuinæ ac præclaræ diſciplinæ. Ab his igitur primis humani generis luminibus, maximarum rerum diuinarum & humanarum noticia eſt deducta: qui, cum in Armenia, Meſopotamia,

Chaldea,

Chaldæa, Aſſyria, Ægypto & Phœnicia vixerint; factum eſt, vt hæ nationes illarum rerũ clariora & plura, quàm cęterę, retinuerint monimenta, ac his à quibuſdam Mathematũ inuentio prima attribuatur. Hanc ſuorũ ſtudiorũ rationem etiam reliquos Prophetas tenuiſſe dubium non eſt. In Prophetiјs enim Amos ſiderum fit mentio: & acta Apoſtolorum Moiſen in omni Ægyptiorum doctrina eruditum fuiſſe profitentur. Etenim, ſi quis animo diligenter complectatur, ſtudiorum & exercitiorum rationem ſapientiſsimis hominibus Patribus & Prophetis vſurpatã, reperiet ſemper ipſos cum cœleſti doctrina cõiunxiſſe naturalium rerum, herbarum, ſtirpium & Mathematicarum rerum cognitionem. Quamuis enim omnes hominum generi artes à primis inuentæ ac conſtitutæ hominibus ſint vtiles & neceſſariæ: tamen ſumma illa ingenia in his ſummis ſcientiјs verſata & conſumpta eſſe apparet. Nam hanc ob cauſam potiſsimum homines à Deo conditi, & poſtea lapſi in æternam damnationem per Chriſtum Ieſum redempti ſunt: vt templa ſint ipſius Dei, eumq́ verè agnoſcant & celebrent in omni æternitate. Hic humanarum rerum finis vltimus, cùm Patriarchis & Prophetis optimè perſpectus eſſet, omnibusq́ animi viribus annitebãtur, vt Dei ſibi noticiam familiaritatemq́ & amicitiam compararent, & fide Chriſtum me-

diatorem intuente retinerent. Quia vero fragili in domicilio ſe vitam tranſigere norant, plantarum, ſtirpium, florum & herbarũ naturas & facultates perſcrutabantur: vt corpora varijs obnoxia morbis tueri, laboribus, actionibusq́ apta conſeruare, alacrius & diutius Deum concelebrare, proximo deniq́ inſeruire melius poſſent. Cumq́ ſuum πολίτευμα non in terra, ſed in cœlo eſſe certò ſcirent, ipſum tanquam patriam oculis planè Philoſophicis contemplati ſunt: ac illius conſideratione aſſenſionem de prouidentia & ſpem vitæ futuræ beatæ in animis confirmabant. Et cum in terra tanquam ex cœlo exules verſarentur, eius quoq́ partes magnitudinem, & locorum interualla ſtudioſe inquirebant: vt primæ Eccleſiæ ſedes, exilia, propagationem, translationem, Dei patefactiones, promiſsiones editas, legis promulgationes & reliqua eius generis melius meminiſſent & poſteris communicare poſſent, Quare cum nos Patrum & Prophetarum ſimus diſcipuli, his potiſsimum operam nauemus noſtrã, quæ à magiſtris probata videmus, ac cum doctrina, ex ſinu æterni Patris prolata à Filio, coniungamus particulas Medicæ artis & Mathematũ. Ad hæc enim ſtudia ingredienda & proſequenda nõ dignitas modò & amplitudo ipſorum maxima, ſed etiam inſatiabilis voluptas, vtilitates ſumĩæ, & hæc Patrum & Prophetarũ exempla

pla hortentur, inuitent atq; inflam̄ent. Quāta enim hæc ſola laus, quanta gloria harū eſt ſcientiarū Mathematicarū, quod ab initio ſtatim mundi unà cum religionis doctrina à Deo ipſo primis parentibus monſtratæ, in eo ad omnē poſteritatem propagatę ſunt & manſerūt cœtu, qui dulciſsimū Eccleſiæ titulū verè geſsit? D. Philippus Melanthon, præceptor meus in omni æternitate ſuſpiciendus ſępè inter cæteras caſtitatis laudes, hanc vel maximè prædicare eſt ſolitus, quòd ipſius & intellectus & obſeruatio in ſola Dei Eccleſia manſerit. Ita mihi dulciſsimam & maximam videtur his ſcientijs dignitatem parere & conciliare, ipſarum in Eccleſia propagatio & perpetua cultura. Nam à Patribus & Prophetis in Agyptum, Phœniciam, Gręciam, & ab his ad Latinos & reliquos poſteros deriuatas & velut per manus traditas has eſſe diſciplinas nullum amplius eſt dubium. Magna vero & hęc eſt amplitudo, quòd verè hæ ſunt artes in Chriſtum Pædagogi, deducentes animos noſtros in agnitionem gloriæ & maieſtatis eius, & ſupra omnes Cœlos in Thronum Dei euehentes: vt inenarrabilem maieſtatem & gloriam, omnipotentiam infinitam & locis omnibus diffuſam, bonitatem inexhauſtam, ſapientiam ſtupendam Dei videant, adorent, inuocent, colant, ac flagrāti deſiderio cum ipſo iam eſſe expetant, pertæſi prorſus rerum humanarum,

manarum, quæ ad cœleſtia collatæ puluis & vm-
bra videntur. Quanta eſt Solis præſtantia? quan-
ta pulchritudo? quantus ſplendor? quanta vis &
efficacia? quanta magnitudo & à nobis diſtantia?
quantam ergo Chriſti ſolis iuſticiæ, qui prioris ex-
titit autor, excellentiam, quantam magnitudinem,
quantam maieſtatem, quantum ſplendorem, quan
tas virtutes eſſe exiſtimabimus? cum inter creato-
rem & creaturam nulla ſit proportio. Daniel Pro
pheta cap. xij. doctos, & eos, qui ad iuſticiam eru-
dierunt multos, in vita ęterna ſtellarum inſtar ful-
ſuros eſſe affirmat: quis igitur ſtellarum cogno-
ſcens amplitudinem & honorem, non anhelaret
& contenderet ad portum quietum vitæ cœleſtis,
ex huius miſeræ vitæ pelago impetuoſiſsimo? Iam
imago Chriſti cum ſit Sol, plurima de eo quaſi in
ſpeculo in ipſo reſplendent myſteria. Miranda eſt
Solis ſtructura, vt primùm lucidiſsimam ſubſtan-
tiam, deinde lucem ſeu radios à ſubſtantia propa-
gatos, tertio ab vtriſque calorem viuificum proma-
nantem intelligas. Subſtantia Patrem diuinitatis
fontem & αὔγασμα: radij ſeu lumen propagatum fi-
lium ἀπαύγασμα: calor viuificus ab vtriſque deriuatus
Spiritum ſanctum, à Patre & Filio procedentem,
& vtriuſque amorem ſubſtantialem exiſtentem re-
ferunt. Quis iam in ſacra legens ſcriptura Deum
vnum eſſe, & trinum, ſeu vnam οὐσίαν eſſe Dei, ſed

tres

tres tamen ἐποπτείας, non magis ſuam aſſenſionem de hoc maximo myſterio confirmaret hoc pulcherrimo ſolis ſimulachro? Etſi enim ſacrarũ literarum tanta per ſe, eſt authoritas & dignitas, vt ijs nos ſolis de rebus diuinis docentibus fides ſtatim ſit adhibenda: tamen cum Deus earum rerum imagines pulcherrimas lucidiſsimis cœli corporibus & alijs creaturis impreſſerit, neſcio quomodo illæ magis animos noſtros feriant, penetrent, & quaſi obſignent & confirment ea, quæ in ſacris didicimus. Atqui Spiritum Sanctum etiam vti interdum his ſimulachris quaſi viſibilibus verbis, ad flectendos animos ad veram Dei agnitionem & inuocationem ſalutarem, exemplum Dionyſij Areopagitæ oſtendit. Is enim cùm tempore paſsionis Chriſti ſolem in plenilunio, vbi nullum inter oculos noſtros & ſolem denſum corpus radios ipſius à nobis arcere poterat, deficere tribus horis continuis videret, exclamaſſe fertur: aut Deum pati, aut mundi ruituram eſſe machinam: ac cum ſuis συμφιλοσόφοις communicato conſilio aram extruxiſſe cum inſcriptione, IGNOTO DEO. Paulus Apoſtolus Athenis inſcriptionem legens, ſe ignotum Deum patefacturum eſſe inquit, ac Eclipſis illius cauſis expoſitis, Dionyſium ad veri agnitionem ſalutarem perduxit. Huic rei fidem facit & Magorum hiſtoria, qui ortu ſtellæ nouæ Regem & ſaluatorem

torem totius mundi natum eſſe, verè in Aſtrorum doctrina eruditiſsimi iudicarunt & agnouerunt. Omnes ſtellæ mirabili quadam harmonia & motus conuenientia ſe ad Solis curſum accommodãt, vt ab ipſo lumen, vires & mandata accipere, ac ipſum viciſsim tanquam regem venerari & colere videantur. An non Deus voluit hoc ſpectaculo nos idem monere, quod literis docet, omnes nos vitam ab vnico Chriſto haurire, ipſum vnicum eſſe regem & mediatorem noſtrum, cui ſoli inſeruire, obedire, quemq́ ſolum colere & audire debeamus? Sol perpetuò omnibus terrenis vim viuificam ſuis radijs, qui de ſubſtantia ſparſi aliquid reale exiſtunt, impertit: & tamen non euaneſcit, non languidior, aut minor redditur. Ita æternæ iuſticiæ Sol, ut à Propheta Zacharia appellatur, omnibus Chriſtianis, tanquam viuis ſui corporis membris, per verba & Sacramenta ſuæ carnis & ſanguinis ſubſtantiam viuificam communicat: vt vitam inde intra ſe hauriant & cõſequantur æternam. Vt Sol Chriſti, ita Luna Eccleſiæ præbet dulciſsimam imaginem. Quemadmodum enim Luna à ſe lumen non habet, ſed à Sole illuminatur: ita Eccleſia in ſe lucem & vitam obtineret nullam, niſi à Chriſto per Spiritum ſanctum illuſtraretur. Vtq́ in Luna aliquæ apparent maculæ, & alias magis alias minus de parte à ſole illuſtrata conſpicitur: ita Ec-

Historia similia.

cleſia multis peccati conſperſa eſt maculis, quæ tamen per & propter Chriſtum teguntur: & aliàs magis aliàs minus floret & trãquillior exiſtit. Poſſent eiuſmodi ex Mathematũ doctrina adduci plura, quæ profectò generoſis, pijs, & ordinem in natura diuinitus inſtitutum ſtudioſè conſiderantibus mirificum erga Deum amorem & pietatem, ac ſententias de eius prouidentia æterna, bonitate ac ſapientia rectiores, firmioresq́ʒ inſtillare conſueuerunt. Quò enim animus cuiuſquiſqʒ eſt generoſior, diuinæq́ʒ propior naturæ, eò magis cœleſtiũ rerum cognitione, minus terrenis gaudere ſolet. Sed hæc peculiarem deſiderant orationem. Hanc Mathematum ſacrorum laudem Diuinus Plato optimè intellexiſſe eſt iudicandus. Inquit enim in fine Philoſophi ſui: "Vnum eſt naturæ vinculum, doctrina numerorum, figurarum, et motuum cœleſtium: ac ſi quis aliam viam ad diſcendũ quæret, fortunam, vt dici ſolet, inuocet, nam ſine his nemo in ciuitatibus unquam beatus exiſtet. Hic modus eſt, hæc educatio, hæc diſciplina, ſeu facilis, ſeu difficilis, per hanc ire neceſſe eſt: nec fas eſt NEGLIGERE DEVM, QVI GRATAM DE SE FAMAM IN ARTIBVS GENERI HVMANO tribuit. Eum ſanè qui cuncta hæc ita percepit, verè ſapientiſsimum appellamus, &c." Hæc ſunt Platonis verba: quibus quid quæſo præclarius ac ſa-

pientius dici de his artibus potuiſſet vnquam? quàm quòd Dei ſapientiam, omni potentiam, bonitatem, prouidentiam, iuſticiam, eſſentiam diuinam declarant, & inuitant, nos ad ipſius agnitionem, inuocationem & celebrationem. Noticiam enim mentis ſequi neceſſario debet in corde motus conueniens. Itaq; potentiæ diuinæ cognitio, reuerentiam & inuocationem, ſapientiæ admirationem, bonitatis amorem, iuſticiæ obedientiam in nobis inflammare atq; augere debebat. Paulus Apoſtolus ad Romanos cap. i. idem Encomium his artibus tribuit inquiens: τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, Καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. διότι γνόντες τὸν θεὸν οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, ἢ εὐχαρίστησαν. Idem Propheta Dauid affirmat Pſalmo xviij. pſallens: Cœli enarrant gloriam Dei, & firmamentum annunciat opera manuum eius. Hac certè ſententia cœlorum conſideratione cognitionem gloriæ & maieſtatis Dei, qua in nobis excitetur dilectio, & timor Domini, fiducia in eum, & glorificatio nominis ipſius, comparari fatetur. Hæc ſola dignitas atque vtilitas ſtudioſos atq; omnes homines ad amorem & ſtudium harum optimarum artium exuſcitare atq; inflammare debebat, etſi alij propemodum infiniti in vita communi fructus non conſequerentur. Etſi autem ſuſpicientes in cœlum

&

& contemplantes pulcherrima ſtellarum corpora, fateri neceſſe eſt, eſſe Deum talium rerum effecto-rem ſapientem : tamen, qui Aſtronomiam haud deguſtarunt, non tam præclarè nec de Deo, nec de operibus eius, vt decebat, ſentire poſſunt. Si e-nim cœleſtia contemplentur, ſolem bipedalem, ſtellas, puncta, humilem cœlorum diſtantiam, vt alicubi ſe vertice tangere poſſe credant, plures ſo-les, terram planam, aliaq́ꝫ ridiculè puerorum mo-re comminiſcentur. Quare nec Dei maieſtatem maximopere prædicare aut intelligere poſſunt: vt infinitam fere multitudinem Epicureorum, De-mocriticorũ, Academicorum ridentium Deum, & opera eius, & contemnentium pulcherrimas doctrinas Mathematicas etiam inter doctos vide-amus, cum tamen perinde atqꝫ Lex Dei & noticiæ nobiſcum natæ Deum nobis ob oculos ſiſtant atqꝫ proponant. Quocirca verè cecinit vates noſter Philippus:

Ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλει θείας σημεῖα προνοίας
Μᾶλλον δ' ἡ ἄστρων θεσπεσίη διδαχή.

Quantam vero læticiam & ſuauitatem animo non beluinis voluptatibus ebrio, aut ita rerum hu manarũ capto dulcedine, vt cum Epicureis in ter-ra potius manere, quàm in cœlum penetrare velit, adferant hęc ſimulachra cœleſtium corporum nos de Deo docentia, nosq́ꝫ ipſi conſociantia, verbis

explicari ſatis nequit: experiundo potius cogno-
ſcendum eſt. Cum ſua cuiq; naturæ actio pro-
prijſsima maximam parere conſueuerit iucundita-
tem, ſuauitatemq́;, neceſſe eſt homines aſpectione,
conſiderationeúe totius rerum naturæ, numero-
rum, magnitudinum, cœleſtium & inferiorum cor
porum harmoniæ & conſenſus maxima adfici vo-
luptate. Deus enim æternus propterea etiam con-
didit cœlum, & mirabili varietate ſtellarum & mo
tuum adornauit, vt ipſa quoq; pulchritudo nos ad
aſpectionem & contemplationem tantarum re-
rum inuitaret. Quod & Plato ſenſit, cum in Ti-
,, mæo de oculis diſſerens inquit: Hoc dicatur & ſta
,, tuatur, oculos propter hanc præcipuè cauſam à
,, Deo nobis inuentos & donatos eſſe, vt animo iſtas
,, in cœlo periodos & conuerſiones intuentes, tan-
,, dem illas accommodemus ad agitationes & erro-
,, res noſtrarum mentium, & cogitationes in nobis,
,, quæ ſunt cognatæ & affines illis cœleſtibus agita-
,, tionibus: in quibus nihil turbidæ, confuſaneæ &
,, anomalæ eſt inæqualitatis: & inde exemplum ſu-
,, mentes, ſiquidem naturaliter recta ratione ac iudi-
,, cio præditi ſumus, & imitantes motus cœleſtes di-
,, uinitus ordinatos, nõ vagos, nec errabundos, no-
,, ſtræ mentis vagos & cœcos ſeu temerarios impe-
,, tus moderemur & componamus. Quare, cum ad
contemplationem cœli, tanquam patriæ noſtræ

Plato.

nati

nati ſimus, & animi humani cœleſtem originem
habeant, dici profectò & explicari nequit, quanto-
pere delectentur qualicunque ſaltem cœleſtium co-
gnitione: vt dulcedine etiam capti nunquam ita ſa-
tiari poſsint, quin ſemper maiorem earum rerum
noticiam expetant. Quàm iucundum eſt mente
totum terræ ambitum complecti, quam vulgus
infinitam ferè molem cogitat, & adire ea loca, in
quibus filius Dei verſatus eſt & victima factus, do
cuit, & tanta erga nos ſuæ bonitatis & miſericor-
diæ μνημόσυνα reliquit? Iam vero, ſi vtilitates comme- Vtilitas Arithmeticæ.
morare vellem, quæ ad omnes hominum ordines
ex his ſcientijs redundant, peculiaris rurſus oratio
requireretur. In œconomia, in contractibus alijsque
negocijs prolixæ computationes Arithmeticam
deſiderant, ſine cuius adminiculo nec motus cœle-
ſtes numerare, nec Ecclipſes ſcire, nec peregrino-
rum locorum à nobis diſtantias cognoſcere poſſe-
mus. Geometria in vaſis & ſpacijs iudicandis, et in Vtilitas Geometriæ.
ædificijs extruendis quantum vtilitatis adferat, e-
tiam iam vulgo ſatis notum eſt. Sed quantam ad
extructionem Aſtronomiæ, ad fabricanda inſtru-
menta, & ad reliquas omnes artes melius & re-
ctius intelligendas vtilitatem pariat, ſoli docti in-
telligere valent. Galenus certè in eo, quem de pro- Galenus.
prijs ſcripſit libro cap. xi. ſe, ſi non in Geometricas
& Arithmeticas incidiſſet demõſtrationes, Phyr-

rhonio-

rhoniorum more de omnibus aſſenſionem cohi-
biturum fuiſſe fatetur. Proinde libet ipſius verba
aſcribere, cum magnificè & ſplendidè has artes
commendent. Καὶ νὴ, inquit. Τοὺς θεοὺς ὅσαν ἐπὶ τοῖς διδασκάλοις ἀ-
πὸ τῶν πυῤῥωνίων ἀποριῶν ἐμπεπτώκεισαν ἂν καὶ αὐτὸς, εἰ μὴ καὶ τὰ κατὰ γεωμετρίαν
ἀριθμητικήν τε, καὶ λογιστικὴν κατέχων, ἐν αἷς ἐπὶ πλεῖστον ὑπὸ τῷ πατρὶ παιδευ-
όμενος ἐξ ἀρχῆς προελήλυθα &c. Aſtronomia anni & eius
partium iuſtas deſcriptiones, menſium rationem,
et temporũ ſeriem monſtrat: ac dierum noctiumq́
vices, interualla & quantitates metitur & diſcer-
nit. Hac temporum notatione nobis in Eccleſia
potiſsimum opus eſt, vt Mundi primordia, reli-
gionum & ſectarum variarum initia, vt quæ prio-
res, quę poſteriores fuerint, conſtet, tempora diui-
narum patefactionum, editarum promiſsionum,
incarnationis filij Dei, & poſtremi eius aduentus
cognita ſint & perſpecta. Quare cum Geneſeos
cap. i. Deus hoc officij delegarit luminibus, vt tem
pora, dies & annos diſcernant & diſtinguant, ac
metæ iſtorum intelligi & perſpici nequeant ſine
motuum obſeruatione, conuincitur certè manda-
to Diuino, nobis Aſtronomiæ eſſe cõmendatum
ſtudium. Sine hac nec feſtorum & ſolennitatum
veteribus vſitatarũ rationem, nec Paſcatis & paſ-
ſionis Chriſti tempus verum ſcire licet. Ex hac
tanquam fonte γεωγραφικὰ & χωρογραφικὰ πραγματεία, deſcri-
ptiones terreni orbis, de locorum diſtantijs doctri

na,

nia, & regionum deſignationes promanant. Quanta eſt vtilitas in publica & priuata vita ſobriè à Chriſto Lucæ xxi. Expreſſo modo conſiderare ſigna & minas cœleſtes temperamentorum, inclinationum, iræ Dei & impendentiũ calamitatum? maior profectò eſt, quàm vt ab hominibus raro de Dei æterna prouidentia, ſapientiaq́; cogitantibus & ignaris præſtantiæ huius ſcientiæ, videri aut intelligi poſsit. Stellæ vero quando ſint ſigna, & quarum rerum, nemo niſi Aſtronomiæ peritus ediſſerere poteſt. Quantum vtilitatis adferat Aſtrorum doctrina, Medicinam facienti, quantumq́; laudis & gloriæ Medicinæ conciliare poſsit, Hippocrates in libro de aëre, aquis & locis, quẽ Galenus ſuis illuſtrauit commentarijs, & ipſe Gal. in libro de diebus decretorijs, & in commentario, quem in Hippocratis Epid. lib. ſcripſit, abundè & apertiſſimè teſtantur: vt mirũ ſit, quoſdam Medicos adhuc reperiri, qui diligentem Aſtrorum conſiderationem nec neceſſariam nec vtilem eſſe Medico contendunt. Sed præfationis excedo modum. Hęc igitur, aliaq́; plurima commoda, quibus humana vita carere non poteſt, niſi Cyclopum vitam aut beſtiarum ſimilem degere velimus, hortentur nos, vt non ſolum has artes colamus, ſed etiam dona Dei maxima eſſe agnoſcamus: quæ grato animo amplectenda, magnifacienda, & ab iniurijs & ca-

lumnijs imperitorũ & operum diuinorũ cõtempto-
rum vindicanda ſint. Ego certè mediocrem harum
artiũ & doctrinæ cœleſtis cognitionem cum Crœ
ſi, imò totius Mundi opibus cõmutare non velim:
ac occaſionẽ mihi dari de multis religionis myſte-
rijs melius cogitandi, Deum ardentius colendi &
inuocãdi, ac mores diligentius regendi ſuppedita-
re has ſcientias libenter & verè fateor. Cumq́;
mihi ab ampliſsimo & ſapientiſsimo Scholæ no-
ſtræ Senatu prouincia harum artium initia audito-
ribus proponendi ſit demandata, non ſolum ſua-
uiter cum clariſsimis viris D. M. Samuele Hay-
lando, Ethices profeſſore publico, & D. M. Bern-
hardo Thalero, Poëtices profeſſore, alijsq́;, qbus
cum liberius viuendi mihi poteſtas datur, de di-
gnitate, præſtantia, & vtilitatibus harum ſcientia-
rum ſæpe colloquor; ſed etiam in hoc incumbo di-
ligenter, vt neceſſaria tantũ eorumq́; uſum doceã,
& ſemper Dei quoq; in his prouidentiã, ſapientiã,
omnipotentiam & bonitatem commendem & de-
clarem. Itaq; cum peruentum eſt ad circulorum
cœleſtium tractationem, ſemper inter reliquos v-
ſus, etiam hunc, qui in diſtantijs locorum compu-
tandis conſpicitur, oſtendo. Cumq́; auditores non
ſint adhuc idonei ad intelligendas Geometricas
demonſtrationes, quæ in libello D. D. Peuceri
præceptoris mei colendi traduntur, coactus ſum
ipſe

ipſe præcipua colligere & dictare, quæ ad rudes informandos neceſſaria tantùm videbantur. Cum autem dictatio ſæpius repetenda moleſta ſit & prę ceptori & diſcipulis, volui, non tamen ſine aliorū iudicio & cenſura, hunc libellum typis excudendum dare, vt hac etiam ratione meos auditores, alioqui in excipiendis dictatis præceptorum μισοπόνους, ad hæc ſtudia alacrius colenda inuitarem. Sic enim perſpicuè mihi tradita & exemplis illuſtrata videntur, vt etiam per ſe iam aſſequi ex hoc libello doctrinam de locorum interuallis computandis poſsint. Ne autem quid deſiderari, aut ſumptus maior fieri poſſet, addidi tabulam Sinuum vſitatam: & precipuorum locorum longitudines & latitudines ſecundum ordinem Alphabeti diſpoſitas. Et cum de his magna ſit Autorum diſcrepantia, vt Tubingæ longitudinem Apianus xxvi. grad. xxiij. min. Gemma friſius xxxv. grad. xxx. min. Stofflerus xxix. grad. xlv. mi. ponat: & in obſeruatione Ecclipſium hanc veriorem eſſe deprehenderim, hunc potius ſequi, & alias longitudines ſecundū Tubingenſem emendare volui. Dolendum autem eſt vehementer, tantas opes à magnatibus inaniter profundi, & interim negligi has artes, earumq́ʒ profeſſores, vt certas locorum longitudines & latitudines notare & obſeruare haud poſsint. Deo gratiorem, ipſis glorioſiorem, & ho-

[illegible] (handwritten marginal note)

variant viri docti in asserenda longitudine Tubingae. (handwritten marginal note)

minibus vtiliorem præſtarent operam, ſi in hanc rem incumberent, quam ſi in alias res quaſcunq; mundanas pecuniam effunderent. Cum autem digna laude conſuetudo ſit, ſuorum laborum patronas quærere, Deo ita dante, factum eſt, vt tu, vir clariſsime nobilitate generis & virtutibus preſtantiſsime occurreres, cui huius libelli patrocinium committerem. Nam cum interceſſerit mihi multis iam annis Argentinæ primùm inchoata amicitia cum clariſsimo viro D. Martino Ruelando, Theologiæ & Medicinæ ſtudioſiſsimo & iam in Gymnaſio Laugingenſi, Hebreæ & Grece linguæ profeſſore, vſu venit, vt in hanc noſtram Academiam miſſus cũ diſcipulis, Chriſtophoro Zehentnero filio tuo, Melchiore à Hohenberg, Guilhelmo Bernhardo Bohemo, & Iacobo Herbroto adoleſcentib. nobilitate generis & virtute præſtantibus, græceq; & latine doctis, compatribus meis, apud me hoſpitium quæſiuerit, hæcq; amicitia & familiaritas tuum quoq; animum mihi ita deuinxerit, vt, cum alia in me beneficia contuleris, tum etiam Inſignia à me etiam non efflagitata comparaueris. Pro hac maxima erga me beneuolentia, beneficentia, & humanitate, mentis meæ gratæ ſignificatio aliqua fuit edenda. Deinde idem Martinus aliquot annis tua conſuetudine, amicitiaq; vſus, tantopere mihi prædicauit tuum erga ſtudia litera-

rum,

rum, & doctos amorem, tantam pietatem, quam vera Ieſu Chriſti agnitione & fide Spiritus ſanctus in corde tuo accendit, tantum ingenij tui flumen, tantam multarũ rerum & abſtruſarum noticiam, tantam familiæ tuæ nobiliſsimæ præſtantiam & antiquitatem, tantas opes & diuitias, vt intima tibi familiaritas & amicitia cum aliquot principibus & Inuictiſs. & Sereniſs. Cæſare, ſummo totius Chriſtiani orbis magiſtratu intercedat, tuaq; conſuetudine & ſapientia delectentur, tua conſilia in rebus multis expctant & ſequantur. Hæc ſumma in te ornamenta cum ſint, miratus ſum ſępius tuam tamen humilitatem & humanitatem eſſe tantam, vt me, qui neq; ingenio neq; eruditione, neq; autoritate multũ valeo, complecti ac beneficijs proſequi ſtatueris. Eadem eſt pietas & præſtantia animi vxoris tuæ Reginæ nobiliſsimæ: vt non tantum doctrinam de Chriſto veram ore profiteatur, ſed etiam in corde ſint motus à Spiritu ſancto accenſi, quibus ſuã fidem declarat: & medica ſit, plurimumq; herbarum & ſtirpium cognitione & vſu delectetur, vt etiam multos Epilepticos & alins ægrotos curarit. Hæc meam vxorem quoq; officijs & beneficijs affecit. His veſtigijs veſtris inſiſtit filius Chriſtophorus, compater meus, qui natus annos quindecim nõ in doctrina ſolum vera de Deo & filio eius Ieſu Chriſto inſtitutus probè eſt, ſed

etiam artes dicendi & Græcam linguam ita perdi-
dicit, vt promptè græcè perindè atq; latinè ani-
mi ſenſa poſsit exprimere. Habet enim præcepto-
rem grauem diſciplinæ cuſtodem, & aptum, na-
tum ad informandam probè iuuentutem. Has tan-
tas virtutes, tanta decora, tantam erga nos veſtrã
beneficentiam & humanitatem ſilentio præterire
non potui. Vult enim Deus nos gratos eſſe erga
eos, à quibus beneficio affecti ſumus: vult nos glo-
riam virtutibus dignam hominibus tribuere, vt
ipſum bonorum omnium authorem eſſe agnoſca-
mus, & alij ad benefaciendum & virtutum ſtudia
inuitentur. Sed cum nulla re alia gratæ mentis
meæ declarandæ facultas relicta ſit, hoc publicum
ſcriptum meæ erga te obſeruantiæ & gratæ men-
tis teſtimoniũ & μνημόσυνον eſſe volui. Peto igitur re-
uerenter: vt exiguũ munus ęqui boniq; conſulas,
aduerſus Sycophanticos morſus defendas, meq; ti
bi cõmendatum habeas. Quod ſi ſenſero meã hanc
operam nõ omnino diſplicituram eſſe, propediem
meam Aſtrologię methodum quoq; in ſtudioſorũ
vtilitatem euulgabo. Deum ęternũ Patrem Domi
ni noſtri Ieſu Chriſti precor, vt his turbulentiſsi-
mis temporibus & poſtremis mundi furoribus Ec
cleſiam ſuã clementer ab erroribus & Diaboli inſi-
dijs defendat & protegat, teq; diu ſaluum & inco-
lumem cum tota familia conſeruet. Vale fœliciter.

DE COMPVTANDIS locorum diſtantijs.

QVatuor potiſsimum ſunt utilitates, quibus moti & inuitati doctrinæ Geographicæ de locorum diſtantijs indagandis operam aliquam nauare debemus.

I. Prima eſt: ut in qua huius finiti & unici parte mundi uerſemur nobis innoteſcat. Cum enim mirando totius Diuinitatis conſilio in hoc pulcherrimum collocati ſimus domicilium, haud dubiè etiam à nobis poſtulat, ut aſpiciamus illud, mente notemus, ac interualla, quæ tranſimus & conficimus, metiamur: ne aut infinitam hanc cogitantes ſedem noſtram, aut plures fingentes mundos, à ueritate aberremus, inq; abſurdas Empedoclis, Democriti & aliorum opiniones de pluribus mundis prolabamur.

Vtilitates doctrinæ, de diſtantijs locorum computandis.

II. Secunda eſt: ut de ſingularibus Dei patefactionibus, & Eccleſiæ ipſius glorioſis liberationibus doctrina, admonitioq; altius animos penetret, feriatq; noſtros. Quemadmodum enim doctrina diuinitus patefacta, temporis ſibi cogitationem & perſonarum neceſſariò uendicat, ita locorum adhiberi neceſſe eſt conſiderationem, diſtinctionemq;, ut patefactionum diuinarum ſeriem, admirandam Eccleſiæ Dei, tum propagationem, tum malis ex ingentibus liberationem, defenſionemq;, & illuſtria teſtimonia diuina certius cognoſcere, firmiuſq; retinere poſsimus. Ac quoties in noſtra ſubeunt animos noſtros inuocatione patefactiones diuinæ, illa ipſa complectantur loca, & ueſtigia, in quibus Dei filius coæternus Dominus noſter Ieſus Chriſtus mediator, & redemptor & ſaluator primam promiſsionem ex ſinu æterni ſui patris allatam promulgauit, docuit, aſſumpſit humanam naturam, paſſus eſt, reuixit ex morte, aſcendit ad cœlos, aliaq; miracula edidit. In tantarum conſideratione rerum ſi quis ſitus regionum, & interualla locorum minimè conſideranda & contemplanda putet, hunc non agreſtem modò & barbarum, uerum etiam à pietate alieniſsimum iudico. Vt Galenus Medicorum facilè princeps lib. 3. de uſu partium ſummam in eo ſitam exiſtimat pietatem, ſi inſpectis diligenter corporis humani partibus ſingulis mirabili ex ſtructura, harmonia, uſuq; partium Dei opificis ſapientiam, prouidentiam, bonitatemq; & omnipotentiam

tentiam cognoſcere ſtudeat, eas'q; alijs poſtea conſpiciendas & di- ſcendas proponat, ita nos non contemnendam noſtræ pietatis partem in eo arbitremur collocatam, ſi non oculis, animo ſaltem intueamur ea terræ loca, in quibus Deus arcanam ſuam maieſtatem, bonitatem, prouidentiam, omnipotentiam, ſapientiam q;, extra, ſupra'q; humanę rationis captum poſitam, de redimendo humano genere in æternam prolapſo damnationem, per filij ſui mortem patefecit & prodidit. Talis locorum horum conſideratio de multis profecto maximis nos rebus admonebit, & maiorem erga Deum in nobis pietatem, gratitudinem, timorem & amorem excitabit atq; inflammabit Tertia eſt: quod in lectione ſacrarum & aliarum hiſtoriarum multum lucis, perſpicuitatis, & ſuauitatis locorum obſeruatio ſuppeditat. Quod unico Magorum, qui nato Saluatori noſtro munera in ciuitate Bethleem obtulerunt, exemplo manifeſtum euadet. Exiſtimatur uulgo Magos ad Chriſtum ex Arabia fœlici ueniſſe, propterea quod Eſaiæ 60. ſcriptum inueniatur, omnes de Saba uenient, Aurum & Thus offerentes, & laudem annunciantes Domino. Verum Arabiæ fœlicis Metropolis Saba, Iudeæ uerſus Meridiem potius, quam orientem ſita eſt, ut ex numeris longitudinum & latitudinum locorum cognoſcere licet. At ex Perſia profectos eſſe Magos antiquum & celebre oſtendere uidetur nomen.

III.

Magorum hiſtoria.

	longitudo	latitudo	
Ieroſolymorum	66.grad. o. m̄.	31.grad.	40. m̄.
Sabæ metropolis Arabiæ fœlicis	76.grad. o. m̄.	16.grad.	o. m̄.
Suſæ, in qua degit Saracenorum pontifex magnus	84.g̃.o.m̄.	34.grad.	o. m̄.
Perſepolis metropolis perſiæ ab Alexandro direptæ	91.g̃.o.m̄.	33.grad.	20. m̄

Diſtant igitur à Ieroſolymis Saba 276. miliaribus germanicis, Suſa 218. perſepolis 310. Ex hac locorum diſtantia euidens eſt, Magos non decimo tertio die poſt natiuitatem ueniſſe ad Chriſtum. Nam ſi Suſis profecti Ieroſolyma us'q; ſingulis diebus ſex miliaria confe-erunt, efficiuntur dies 36. ſi Saba profecti abſoluerunt 46. dies, ſi Perſepoli 51. dies in itinere cõſumpſerunt. Nec Chri-

ſtum

ſtum poſt natiuitatem ſtatim in Aegyptum translatum eſſe Lucas Euangeliſta conuincit, qui 8. eum die circumciſum, & 33. die poſt Deo oblatum, & à Simione in ulnis geſtatum eſſe literis mandauit. Ex hac locorum conſideratione conſpicuum fit, quid lucis adferat hiſtorijs hæc Geographica doctrina: nec Chriſtum à Magis ſtatim ipſius poſt natiuitatem ſalutatum & inuocatum, ſed longo ſatis ſpatio temporis interiecto, quod iuxta Epiphanium extitit, initium ſecundi anni ætatis Chriſti & 37. & poſtremus annus regni Herodis. Quartò, ad uſum nobis omnibus neceſſaria eſt hæc doctrina, cum pernoſcendorum hominum, & diuerſorum locorum, aut operum mirandorum naturæ in diuerſis terræ regionibus contemplandorum & perueſtigandorum ſtudio, quod ueteribus Medicis & Philoſophis curæ fuit, uel obeundi negocij & conficiendi quæſtus gratia profectiones ſuſcipimus, & peregrina loca adimus. Hæ, aliæq́ plures utilitates ſtudioſos adoleſcentes inuitare merito debent: ut aliquid operæ in hac perdiſcenda doctrina collocent. Ego autem præter has cauſas, ideo etiam auditoribus, ad finem Elementorum ſphæricorum explicatione deducta, hanc de computandis locorum diſtantijs tractationem tradere uolui, ut uſum aliquem Sphæricæ doctrinæ, & in primis circulorum cœleſtium excogitationis perſpicerent & cognoſcerent. IIII.

Duo autem ſunt modi inquirendæ diuerſorum locorum diſtantiæ: unus ſine præciſione ulla per rectas lineas perficitur: alter doctrinæ triangulorum ſphæricorum beneficio per ſphæricas lineas fundamento uero uniuerſaliter & certiſsimè locorum metitur interualla. De utroq́ pauca, quæ Tyronibus neceſſaria maximè uidebuntur, dicemus, ſi prius hypotheſes de terræ rotunditate, ac coagmentatione Elementorum duorum aquæ & terræ in globum unum, deq́ quantitate eius abſoluta præmiſerimus.

Duo modi computandi locorum interualla.

TERRAM SPHÆRICAM eſſe, & cum circumfluis aquis unum efficere globum, argumenta plurima à φαινομένοις deſumpta pleraq́ demonſtrant. Hoc loco contenti erimus uno atq́ altero. Terra non eſt caua, non plana, non angulosa: Ergo eſt rotunda. Valet argumentum à partium ſufficienti enumeratione: Antecedens enim probari poteſt: Si enim caua exiſteret, φαινόμενα non orientalibus citius, quàm occidentalibus in conſpectum uenirent, imò contrarium uſu ueniret: ſi plana, omnibus omnia eodem tempore

Hypoteſis de terræ & aquæ rotunditate.

I.

φαινόμενα uiderentur : ſi anguloſa , & multarum ſuperficierum, eiuſdem planiciei incolis φαινόμενα ſimul , aliȷs aliter apparerent. Quorum nullum, cum contingere uideamus omnes , terram globoſam eſſe pronunciemus neceſſe eſt.

II. Partes à Luna auulſæ in defectu lunari per umbram terræ, in quam incurritur, ſunt conuexæ. Ergo Sphærica eſt terra . Vmbra enim refert coporis , à quo ſpargitur, effigiem, quantum omnino poteſt.

Obiectionum diſſolutio. Nec eſt, quod quis altiſſimos montes , aut ualles profundiſſimas, ac planiciem aquæ uiſibilem ſphæricam uitiare figuram exiſtimet . Etenim duplex poteſt intelligi ac dici rotunditas, una ocularis, quam oculi in terræ partes intuentes (tota enim oculis cõpræhendi nequit;) notant & iudicant . Talis terræ rotunditas ſenſibilis non conuenit. Altera eſt, quam ratione conſequimur . Mente enim concipere poſſumus totam terræ molem , ad quam ſi montes & ualles conferantur , erunt inſtar arenidæ uel gemmulæ montes , ualles uerò & planicies uelut paruæ cauitates globo impreſſæ . Rotunditatem itaq; uitiare non poſſunt , etſi hiulcam , tuberoſam & aſperam efficiunt. Nulla enim in Eclipſibus Lunæ protuberantia alicuius montis ſupra circumferentiam abſcindentem eminens conſpici poteſt . Quod uero ad planiciem æquoris & aquæ attinet, ſciendum eſt , uiſum quidem , qui unà cum aliȷs ſenſibus facilè ac ſæpè decipi poteſt , iudicare aquam maris æquabilem eſſe ac planam , ſed rectam rationem aquæ gibboſitatem pulchrè ac probè æſtimare poſſe.

Aquæ rotunditas.

I. Teſtatur enim perpetua nauigantium experientia, naui à portu illuſtri in altum diducta, & aliquò uſque progreſſa, portum primò remigi, deinde & nauarchò euaneſcere , & è conſpectu eximi . Huius rei nulla poteſt dari cauſa alia , quàm aquæ conuexitas & tumor , qui ſuo interuentu portum uel turrim non procul à portu ſitam è conſpectu auffert, non aliter , atq; Lunæ denſitas & opacitas inter noſtrum collocata

II. uiſum & ſolem , ipſum occultat . Deinde corporum ὁμογενῶν eadem natura eſt & proprietas, quæ partium eſt ſingularum . Guttulæ aqueæ puluere , aut frondium lanugini aſperſæ , & de tegulis pendulæ, ſunt globoſæ . Itaq; in poculis aquæ plenis , ipſa media intumeſcit , nec quicquam in ſui conuexitatem affundi ſinit, etſi pondus aliquod placidè immittatur, magis magisq; turgeſcit. Ergo tota non eſt æquabilis aqua , ſed globoſa & ſphærica . Sed

hic

hic ſciendum eſt, aquam neq; totam globoſam eſſe totam terram inuoluentem, neq; hæmiſphærium eius, in quo pilæ aut pomi inſtar tota natet terra, & dimidio ſui extet, ut Plinius libro 2. Cap. 66. ſcribit, nec inſtar cinguli mediæ terræ, ut Albertus Magnus opinatus eſt, ſed pulcherrimo & admirando fœdere cum terra ſociatam eſſe, hac ſe alicubi aperiente & abſorbente, alicubi ſuperficietenus hac illac deriuante ductus aquæ, ita tamen, ut aqua ſupra terræ conuexam non emineat ſuperficiem, ſed in eius altitudine acquieſcat. Atq; tantum de terræ & aquæ rotunditate repetere placuit. Nunc in terræ dimenſione quinq; conſideranda ueniunt. Primum ambitus ſeu peripheria maximi circuli terreni, deinde diameter, tertiò planum ſeu plana area, aut plana ſuperficies ambitu definita, quartò ſuperficies conuexa globi ex aqua & terra conſtituti, ultimò ſoliditas & σφαιρικὸν μέγεθος τῆς γῆς.

De quantitate terræ abſoluta.

DE AMBITV.

De Eratoſthenis ſententia, quam Cleomedes libro 1. ſuorum μετεωρικῶν recitat, nunc non dicam, cum in Enarratione Sphæræ explicata ſit. Ptolomæus enim neglecta hac ueterum opinione aliter ambitum maximi circuli terræ metitur. Nam imaginatur maximum circulum aliquem in cœlo tranſeuntem per centrum, ut meridianum, & eidem circulo cœleſti in ſuperficie terrena ſimilem ſubiectam imaginatur. Deinde duarum ciuitatum eidem meridiano cœleſti ſubiectarum puncta uerticalia ſeu σημεῖα κατὰ κορυφὴν notat inſtrumento aliquo, & duabus è centro terræ lineis per circulum terrenum ad illa uerticalia puncta cœli eductis, abſcindit ab utroq; circulo terreno & cœleſti duos arcus æquales, & arcum in terra ex peregrinationibus notum metitur. Ex collatione arcuum utriusq; circuli uni cœleſtis circuli gradui in terra congruere 15. miliaria germanica inuenit. Hinc facilis ἐπιλογισμὸς oſtendit ambitum maximi cuiuſuis in terra circuli continere miliaria 5400. longa tantum.

Ambitus terræ.

Ptolomæus.

1. Grad. dat 15. miliaria, quid 360. grad.

15.
1800.
360.
5400.

DE DIAMETRO.

Ex ambitu, cum ratio circumferentiæ ad diametrum propemodum ſit tripla ſeſqui ſeptima ſecundum Archimedem, diameter facilè inueſtigatur miliarium 1718 $\frac{2}{11}$. Archimedes enim in libro de menſuratione circuli demonſtrat cuiuſuis circuli circumferentiam ſuæ diametri ferè τριπλασιεφέβδομον eſſe: hoc eſt, triplam quidem, ſed inſuper excedentem particula, quæ ſit minor quàm $\frac{1}{7}$ ſeu $\frac{10}{70}$ maior autem quàm $\frac{10}{71}$. Proportio autem inter hos terminos media hactenus cuiquam ἐπιςημονικῶς non innotuit: coniectarunt autem multi. Tripla igitur ſeſqui ſeptima ratio ſumitur. 22 —5400—7

Diameter.

$$\begin{array}{r} 7 \\ 37800 \\ 22 \end{array} \Big| \; 1718 \tfrac{2}{11}$$

. Huius numeri dimidium oſtendit ſemidiametrum 859. miliarium, cum $\frac{1}{11}$ pro qua fractione plerumq; Aſtronomi numeros integros aſſumunt, & Semidiametro terræ tribuunt 860. miliaria germanica, cum ſtellarum à centro terræ diſtantias metiuntur.

DE DIMENSIONE PLANÆ AREÆ ſeu planæ ſuperficiei circuli maximi terræ ambitu definitæ.

Plana area.

Τὸ ἔμβαδον κύκλου colligitur, cum ſemidiameter terræ in dimidium perimetri multiplicatur.

2700

2700.	dimidium ambitus.
860.	ſemidiameter.
162000.	
216.	
2322000.	Miliarium ſuperficialium ſeu quadratorum.

Huius rei demonſtratio ſumitur ex propoſitione prima Archimedis de dimenſione circuli, qua oſtendit, quemlibet circulum eſſe ęqualem triangulo rectangulo, cuius alterum latus complectens rectum angulum ſit æquale ipſi perimetro. Itaq; circuli aream non aliter metimur, quàm talis trianguli rectanguli aream. Huius autem prodit quantitas, cum alterum latus rectum comprehendens angulum in dimidium alterius ducitur. Ergo & circuli area tum habetur, cum dimidium diametri in dimidium circumferentiæ multiplicatur.

DE INVENIENDA SVPERFICIE conuexa totius globi ex aqua & terra conſtituti.

Quantitas ſuperficiei totius globi ex terra & aqua coagmentati producitur, cum tota diameter terræ in totum multiplicatur ambitum. Eſt autem perimeter maximi circuli miliarium germanicorum 5400. Diameter uero miliarium 1718. cum $\frac{2}{11}$ pro quibus plerunq; 1720. integra aſſumimus. His igitur multiplicatis in perimetrum tota ſuperficies producitur miliarium ſuperficialium nonagies bis centenum octoginta octo millium, 9288000. *Conuexa ſuperficies.*

5400.	ambitus.
1720.	diameter.
108000.	
378.	
54.	
9288000.	Conuexa ſuperficies.

Vocantur autem miliaria ſuperficialia ſeu quadrata areæ quadrilateræ rectangulæ, quorum ſingula latera longitudine miliaris germanici conſtant. Poteſt conuexa ſuperficies etiam inueniri, ſi area maximi circuli per 4. multiplicatur. Hoc Archimedes propoſitione 31. primi de Sphæra &

Cylindro libri demonſtrat. Inquit enim cuiuslibet ſphæræ ſuperficiem ad maximum circulum eiuſdem ſphæræ proportionem habere quadruplam. Cum igitur antea ſit inuenta area circuli maximi terræ 2322000. miliarium, ea per 4. multiplicata producunt, ſuperficiem conuexam globi ex aqua & terra conſtituti 9288000. ut antea.

DE CRASSITIE SEV SOLIditate totius globi terreni.

Soliditas terræ. Τὸ σφαιρικὸν μέγεθος τῆς γῆς inuenitur, ſi dimidia diameter ducatur in tertiam conuexi partem. Eſt autem conuexa ſuperficies 9288000. quam diuido per 3. & proueniunt 3096000. Hoc productum per ſemidiametrum terræ 860. miliarium multiplicatum oſtendit totius terræ ſoliditatem & amplitudinem 2662560000. uicies ſexies millies ſexcenties uicies quinquies centenum ſexaginta millium miliarium germanicorum.

Diuiſio Orbis totius Solet autem globi ex terra & aqua conſtituti ſuperficies, ut hoc etiam breuiter addam, uariè diſtingui. Primum ratione aquæ in maria, flumina, fontes, paludes, lacus, ſtagna, riuuolos diſcerni conſueuit. Deinde in continentem peninſulam, iſthmum, inſulam, montes & promontoria.

Contines. Continens quidem, græcè ἤπειρος, terra eſt, quæ non eſt inſula, ſed firma & continua terra: ut Miſnia, Panonia, Saxonia, Bauarea, Ducatus Vuirtembergenſis, Palatinus, &c.

Inſula. Inſula νῆσος græcè eſt ea pars terræ, quæ à maioribus terræ partibus ſeu continenti ſegregata circumquaque aquis alluitur: ut Rhodus, Sicilia, Corſica, Taprobana, Iaua, America, Anglia, Islandia, Cyprus, &c.

Peninſula. Peninſula græcè χερρόνησος ἢ χερσόνησος, eſt undique ferè ab aquis cincta terra, per iſthmum tamen cõtinenti adhærens.

Peninſulæ 4. inſignes Suntque inſignes quatuor. Prima eſt Peloponneſus arx totius Græciæ, nunc autem Moræa cognominata in mari Mediterraneo ſita. Secunda, Aurea Cherſoneſus in mari Indico Meridionali. Tertia, cimbrica in mare ſe extendit Germanicum. Quarta, Taurica Cherſoneſus in pontum Euxinum circa Boſphorum Thracinum procurrit, ubi & Mæotis exonerat pontum, circa quam etiam Danubius, Rhetiam, Bauariam, utramque Pannoniam, Daciam, & Miſiam præterfluens pontum ſubit.

Iſthmus. Iſthmus dicitur terra inter

ter duo maria concluſa, propriè tamen iter ad peninſulam porrigit, ſeu anguſtum quaſi terræ collum, ita ab aquis cinctum, ut tamen continenti adhereat, ut Corinthiacus inter Achaiam & Peloponneſum, quem nauigabili alueo Demetrius Rex dictator Cæſar, C. Princeps Domitianus, Nero perfodere tentauerunt. De quibus Vide Plinium libro 4. Cap. 4. Dorſum item Arabiæ inter Sinum Arabicum & Mare Aegyptiacum, Dania quæ ducit iter ad Cymbros, & tota Italia. Rurſus tota terræ ſuperficies, cum tota hominum habitationi commoda non putetur, in οἰκουμένην habitabilem & nõ habitabilem diuiditur. Habitabilis ex porrigit ſe ab occidentali ſeu Heſperio mari uerſus orientem, ut Ptolomæus prodidit, ad gradus æquinoctialis 180. conſtituto termino orientali in Synis metropoli, qui gradus miliaria germanica communia faciunt 2700. In latitudinem uero Ptolomæus ait multo minorem eſſe, quæ ſe uerſus Boream extendat ad gradus 63. termino in Thyle exiſtente, quæ hodiè Schotlandia à Scotis, & Thylinſel à nautis uocari ſolet, uerſus Auſtrum uero ad gradus 17. fine ad Agaſimbam poſito. Tota itaq; terræ latitudo Ptolemęo fuit grad. 80. qui miliaria 1200. efficiunt. Noſtra autem ætate nouæ peregrinationes habitabilem terræ partẽ maiorem eſſe teſtantur. A Sinis enim uerſus ortum 60. gradibus, hoc eſt, miliaribus 900. ad Regnum Cataiæ opulentiſſ. nauigando peruentum eſt. Ab inſulis fortunatis uerſus occidentem, ad inſulam Peruuſq; anno 1530. inuentum in America, quæ tota prius anõ 1497. à Lauſitanis Regis Caſtiliæ ſumptibus reperta eſt, gradibus 70. hoc eſt miliarib. 1050. progreſſi ſunt homines. Ita noſtro hoc ſeculo terræ longitudo habitabilis eſt graduum 310. id eſt miliarium 4650. ut deſint de toto circuitu gradus tantum 50. ſeu miliaria 750. quo minus tota ſit habitabilis in longitudinem. Similiter in latitudinem animaduerſum eſt, maiorem eſſe οἰκουμένην. Nam ad ſeptentrionem gradus 8. ſeu miliaria 120. acceſſerunt, ut iam latitudo ſe extendat ad 71. grad. ex parte Septentrionis ad Hyelſo inſulam Haruegiæ, ad Auſtrum gradus 35. ſeu miliaria 525. ut iam tota latitudo exiſtat grad. 123. hoc eſt milia. 1845. Superficies terræ à ueteribus iterum trifariam, à recentioribus quadrifariam diuidi conſueuit. Trifariam in Europam, Aphricam & Aſiam, quadrifariam uero in Europam, Aſiam, Aphricam & Americam.

Alia terrę diui.

Habitabilis terræ longitudo ſecundum Ptolomæum.

Latitudo.

Terræ habitatæ longitudo ſecundum recentiores.

Latitudo.

Diuiſio οἰκουμένης.

DE

DE EVROPA.

Europa à pleriſq; appellata putatur ab Agenoris Phœnicum Re
gis filia, quæ à Ioue ex Aphrica rapta, in Cretum abducta fuit. A
ſeptentrione Brittanico & Germanico magno, ab aduerſa parte
Mediterraneo Oceano includitur. Ab oriente habet Tanaim, & pa=
ludem Mœotida, & Pontum Euxinum. Verſus occidentem ter=
minatur mari Atlantico. Terra eſt fertiliſſima & temperatiſſima,
frugum, uini & arborum copia nulli cedens, amœnitate urbium
caſtrorum, uirorum, & pagorum, populorumq; uirtute Aſia &
Aphrica longè præſtantior, cæteris tamen terræ partibus minor.
Latitudo Europæ. Latitudo iam olim 225. milia germanicorum eſſe prodita eſt,
niſi ubi circa medium duabus ueluti aliis utrinq; procurrit, tam ad
Longitudo. Boream, quàm ad Auſtrum, unde Draconis adepta eſt nomen.
Regna Europæ præcipua. Longitudo ab amne Tanai ad mare Heſperium 750. miliaria
fere continet. Regna Europæ principua ſunt hæc, primum ad occi=
I. Hiſpaniæ. dentem Hiſpania Græcis Iberia dicta, caput Draconis referens.
Partes eius. Huius tres ſunt ſecundum ueteres partes, Betica, hodie regnum
Granatæ, Luſitania, hodie Portugalia, & Torraconenſis: qui tra=
ctus rurſus in quinq; à recentioribus ſubdiuiditur regna, in Gal=
litiæ regnum, Nauarræ, caſtiliæ, Cathaloniæ, & Arragoniæ. Se=
II. Gallia. cundum eſt Gallia ſiue Francia, Comata uno appellata nomine,
quæ ab Hiſpania montibus Pyrrenæis, ab exortu autem Rheno
fluuio à Germanis ſeperatur, reliquis uero lateribus Oceano &
Partes. Pelago abluitur. A Ptolomæo in 4. diuiditur partes, in Aquita=
niam, Lugdunenſem, Belgicam, & Narbonenſem, quæ Gebenna
& Iuxa montibus ab reliquis Galliæ partibus excluditur, & ad pe
III. Germania. lagus uſq; porrigitur. Tertio Rhenum accolunt populi Baſſæ &
altæ Germaniæ, (nam ab illis Gallis ad Sauromatas uſq; Germa=
nia magna promiſſa eſt) uerſus Boream Germanicum mare exi=
ſtit, in quod Dania, hodie Dacia ad modum Cherſoneſi porrigi=
tur. Ab auſtro finitur alpibus quas Ptolomæus Pœnas aut Pœni=
nas uocat. Ipſa Germania haud illi fertilitate terræ poſtponenda,
Fluuii Germaniæ precipui. circa montana argenti auriq; eſt ferax. Rheno, Danubio, qui ſeptē
oſtiis ſe in pontum exonerat, Neccharo, Albi, aliiſq; Limpidiſſi=
Germania unde dicta. mis irrigatur fluminibus. Dictam alii Germaniam putant à teuto=
nico uocabulo Gar ein man, quaſi multarum gentium Victricem.
Diuus Melanthon iudicat dici à Hebræo Gerim quod miſeros
exules

ros exules denotat. Continet Sueuiam,Franconiam, Turingiam, Germaniæ
Voitlandiam,Vindeliciam,Morauiam,Pannoniam,Bohemiam, partes.
Hercinia cinctam ſylua,Miſniam, Phriſiam, Holandiam,ultra Sa-
xoniam habet Hollatiam,Sileſiam,Marchiam,Pomeraniam,quæ
ad Sarmatas uſq; extenditur. Germaniã ſequitur Sarmatia, quam 4.Sarmatia.
Pruſſi,Liuonij,Ruſſi,Maſſoui, Lituani,Poloni, Vualachi, Trans-
ſyluani incolunt. Deinde Dacia eſt,ſuper hanc Thracia quæ Græ- 5.Dacia.
cia modo appellatur, continens Epirum, Achaiam, Macedoniam,
Moream, &c. Sinum Hadriaticum Dalmatiæ cingunt, Illyrij,
in ipſo flexu Hiſtrij & forum Iulij. Quicquid eſt ultrà, uno dicitur
nomine Italia,cuius prouinciæ ſunt,Campania, Calabria,Latium, Italia.
Apulia,Tuſcia,Vmbria,Gallia togata,Longobardia, Venetiana,
& Anconitana.

DE ASIA.

Aſia eſt altera Mundi pars, ab Oceani & Thetidis filia huius Aſia.
nominis, dicta eſſe perhibetur. Terminis ſeu Limitibus includitur
uerſus occidentem Europa,& Aphrica,uerſus orientem Mari Eoo,
uerſus Septentrionem Scythico mari,uerſus Meridiem, Indico Me
ridionali. Hæc unica magnitudine Europam & Aphricam ſupe-
rat, ſed uel unica Europa populoſitate Aſiam uincit. Loca enim
multa in Aſia ſunt deſerta & inculta iacent. Aër pro diuerſitate ſi-
tus locorum, magis & minus temperatus, terra ferax, & animali-
um numeroſitate donata. In hoc multiformes & miræ hominum
effigies & uarij gentium mores reperiuntur. Inſigniores eius par- Partes.
tes hæ ſunt. Prima Aſiæ caput eſt Pontus & Bythinia, huic A-
ſia propriè dicta ſuccedit, & Phrigia, Lycia, Cappadocia, Pam-
phylia, Armenia, ubi Tigris & Euphrates fluuij in Meridiem la-
bentes exoriuntur. Poſt Cappadoces hominum primi ſunt, qui u-
no uocabulo Pontici dicuntur, deinde Amazones, ad Tanaim
Sarmatæ, Scytæ ultimi Caſpium, Sinum accolunt Caſpij. Me-
di, Hircani, Parthi, Carmani, Perſides iuxta Sinum perſicum,
Babylonij, Meſopotani, Syrij, uerſus Meridiem nagis Arabes ha-
bitant, ultra Parthiã Aria eſt Paro Paniſus, Drangiana & Gedro-
ſis, India extra, intraq; Gangem. In Scythia Aſiæ homines ſunt
Arimaſpi monoculi, oculo ſcilicet uno in fronte inſignes, quibus
perpetuus eſt congreſſus cum Gryphis circa metallum. Ad Imaum
etiam montem Syluani ueloces, licet plantæ pedum inuerſæ ſint,

alij caninis capitibus latrantes, alij μονοσκελεῖς, uno pede incredibiliter ſaltantes, & ad omnes iniurias aëris uel feruidioris uel pluuij reſupino corpore pede ſe protegentes, alij ſine ceruice, oculos humeris geſtant, alij ἄστομοι, odore & halitu uiuentes. Nec poſſunt monſtrorum ibi exiſtentium omnia diſcrimina commemorari. Huic Aſiæ connumeratur Taprobana.

DE APHRICA.

Aphrica. Aphrica tertia mundi pars eſt, proculdubio hoc inde nomen conſequuta, quòd horrore & frigore deſtituta perpetuo quaſi æſtu tota ferè torretur, exceptis his, qui magis ad Septentrionem & Zonam temperatam excurrunt. Verſus occidentem terminatur Heſperio, uerſus orientem Erythræo, uerſus Septentrionem Mediterraneo, uerſus Auſtrum Aetiopico mari. Etſi autem magna, tamen non tota eſt populoſa, uel ob arenarum ſterilium multitudinem, uel æſtus intollerantiam, uel propter malefica & uenenoſa animalia, ut ſunt Ceraſtæ, & Aſpides. Alit Elephantes & Dracones, qui beluis inſidias ſtruunt, ſuoq́ue complexu Leones & Capreas interficiunt. Aliquot particulæ cultæ uberem fructum ferunt. Regiones ſeu prouinciæ ſunt præcipuæ, Tinganica & Cæſarienſis Mauritania, Numidia, Lybia, Chartago, Bizantium, Syrenaica, Aegyptus & Aetiopia. Principio à quatuor tantum Nationibus inhabitata fuit Aphrica, quarum duæ indigenæ, ut Pœni & Aetiopes, aduenæ uero Phœnices & Græci fuerunt.

DE AMERICA.

America. America, quæ nunc quarta terræ pars dicitur, ab Americo Veſputio, eiuſdem inuentore nomen accipit: ob magnitudinem nouus orbis appellatur. Mari undiq́ue cincta eſt, unde Inſula dicitur. Inuenta eſt anno 1497. à nato Saluatore Chriſto, ex mandato Regis Caſtiliæ. In ea incolæ nudi incedunt, & humana ueſcuntur carne ἀνθρωποφάγοι, natatores & Sagittarij expeditiſſimi & certiſſimi: nullis obediunt: dominis ac regibus carent: idololatræ ſunt Cœlum, Solem, Lunam & Stellas inuocantes. Huic adiacent aliæ quàm plurimæ Inſulæ, ut Parcas, Iſabella, Spagnolla, in qua lignum

gnum Guaiacum efficax in ſcabie Gallica, alijsq́ plurimis Pathe‑matis curandis idoneũ, ſi recte adhibeatur, inuenitur. Hęc de menſuranda terræ quantitate, & eius diuiſione breuiter præmittenda eſſe duxi, ut uniores ad uberiorem harum rerum cognitionem inuitarem. Nunc ordine doctrinam de locorum particularium interuallis computandis tradam, ſumpto ab uſitata & faciliori ratione exordio.

THEORIA PRIORIS rationis.

Quemadmodum cœli Syſtema circulis quibuſdam maioribus, ſeu mutuo ſe in centro ſecantibus, & minoribus non ſe mutuo in centro uniuerſi diſpeſcentibus, in certas regiones ac partes diſtinguunt, atq; his uarios & conſtantes cœleſtium corporum motus exprimunt ac demonſtrant Aſtronomi: ita conuexam terreni Globi ſuperficiem ſimilibus circulis directe cœleſtibus ſubiectis diſcernere conſueuerunt Geographi, ut uniuerſa eius figura aliquanto facilius inſtrumentis ob oculos quaſi pingi, omniumq́ locorum poſitus, diſiunctiones, & diſtantiæ uerius cognoſci poſſent. Principio quidem æquatori cœleſti in terra reſpondentem & ἀνάλογον peripheriam ſubdunt, quæ per ea tranſit loca, quibus dies ſemper ſuis adæquãtur noctibus, quæq́ remota undiq; æqualiter eſt à duobus terræ punctis, quæ polos reſpiciunt. Huic deinde ab utraq; parte plures adijciunt circulos, quos παραλλήλους nominant, quòd omnibus ſuis partibus ſinguli æquatori parallelorum maximo æquidiſtent. His omnibus terræ loca in latum, ſeu à Septentrione in Meridiem, uel è contra diſcernendi officium tribuunt. Tertio meridianis cœleſtibus ſimiles quoq; in terra effingere ſolent, ac 180. circulos magnos ſtatuunt, tranſeuntes per cõmunia polis ſubiecta puncta, & æquatorem reliquosq́ parallelos omnes ad angulos rectos ſphræales interſecantes. His, tum ipſos parallelos omnes, tum terram totam ab occaſu in ortum, uel è contra, ſeu in longum diuidendi munus delegant. Ad hos igitur circulos omnes omnia terreni Globi loca referunt tribuentes ſingulis ſuum peculiarem meridianum & parallelum, eos nimirum, qui ſe in uertice cuiusq; loci interſecant mutuo, exceptis his quorum eadem eſt uel ab Inſulis fortunatis uel æquinoctiali diſtantia. Quæ enim loca eodem

Circulorum uſus.

Aequator.

Paralleli.

Parallelorum officium.

180. meridiani à Geographis conſtituuntur.

Meridianorum officium.

abſunt interuallo ab inſulis fortunatis eundem meridianum, quæ ab æquinoctiali, eundem parallelum habent, dicũtur. Atq; ita per Meridiani poſitum, hoc eſt, longitudinem, & paralleli ab æquatore remotionem, ſeu latitudinem, ſingulorum locorum ſitum inueſtigant & cognoſcunt. Ex umbrarum enim rationibus & exquiſitis demonſtrationibus conſtat, certam eſſe ἀναλογίαν & proportionem partium terreni globi ad arcus circulorum cœleſtium, unde hæc de locorum interuallis inquirendis doctrina nata eſt & extructa. Inchoant autem Geographi Meridianorum computationem ab eo, qui ducitur per uerticem Inſularum fortunatarum, ſeu ut hodie uocantur, Canariarum, propterea quòd illæ olim finis habitatæ terræ occaſum uerſus habitæ ſint. Deinde ab hoc primo ortum uerſus 180. numerant meridianos, uel quia occidentis loca olim notiora orientis fuere, uel quòd in eandem ſuo proprio motu plagam feruntur planetæ. Longitudo igitur loci eſt arcus ęquatoris, uel paralleli alicuius inter duos interceptus meridianos, quorum alter fortunatis incumbit inſulis, alter uertici loci eius, de quo agitur. Vel eſt diſtantia loci ab inſulis fortunatis, quæ uel in æquinoctiali, uel parallelo aliquo circulo colligitur. Parallelorum initium ab æquatore ſumunt, & alterutrũ polorum uerſus numerant, ac paralleli per locum aliquem tranſeuntis diſtantiam ab æquinoctiali in meridiano circulo eiuſdem loci computatam, latitudinem loci appellitant. Eſt ergo latitudo loci arcus meridiani circuli comprehenſus inter æquatorem & uerticem loci, de quo eſt quęſtio, ſeu parallelum tranſeuntem per uerticem loci cuius quæritur latitudo. Hic arcus, cum ſit tantus, quantaq; eſt in dato loco poli ſupra Horizontem Eleuatio, ut in Sphæra demonſtratur, uſitatum eſt Eleuationem Poli appellare latitudinem loci. Ex his perſpicuum euadit, qua ratione, habitis & cognitis latitudine & longitudine dati loci alicuius, ſitus ipſius in tereſtri Globo, aut Chartis Coſmographicis meridianorum & parallelorum miniſterio depingendus ſit atq; animaduertendus. Hæc omnia ſubiectum Schema oculis ſpectanda proponit.


Meridianorum ſeu longitudinis locorum initium.

Longitudo loci quid.

Parallelorum ſeu latitudinis initium.

Latitudo loci quid.

Meridies



Hæc de Theoria breuiter dicta ſunt prioris modi, qui quadru-
plici Methodo locorum inueſtigat interualla. Aut enim loca diffe-
runt ſola latitudine, hoc eſt, ſita ſunt eodem ſub meridiano, ſed di-
uerſis parallelis, aut longitudine tantum diſcrepāt, ſeu uni eidemq́;
ſubiecta ſunt parallelo, ſed ſuum quilibet locus peculiarem meri-
dianum habet, aut longitudine & latitudine ſimul loca uerſus eun-
dem polum uergentia diſſident, hoc eſt, quilibet duorum locorum
& proprium meridianum, & parallelum ſibi uendicat, aut longi-
tudine & latitudine differunt quidem, ſed alter in auſtrum ob æ-

 quatore

quatore, alter in Septentrionem porrigitur. Hi diuerſi locorum ſi-tus quadruplices, diuerſam etiam inueſtigationis uiam pepererunt.

DE PRIMO, SI DATA LOCA DIFferant tantum latitudine, uel utroque uerſus eundem pedum collocato: uel utroque æquinoctiali medio diſſiuncto.

Loca, quæ ſola diſſident latitudine, ſub uno eodemque ſita ſunt meridiano: & pariter ab inſulis abſunt fortunatis. In eo autem differunt, quod aut alter locorum polo arctico uicinior, alter ab eodem antarcticum uerſus remotior ſit, aut alter ab æquinoctiali in Auſtrum, alter ab eodem in Septentrionem declinet. Talium locorum diſtantiæ computatio facilis eſt. Fit enim ea in circulo meridiano cuius uni gradui in terra 15. miliaria reſpondere obſer-

I. uationes oſtendunt. Propoſitis igitur duobus locis pares habentibus longitudines, poſitus uerſus polos conſideretur, utrum locus uterque uerſus eundem polum uergat, an uero alter ſit ab æquatore uerſus meridiem, alter uero ab eodem in Septentionem por-

II. rigatur. Si in eandem uterque locus mundi partem deflectit, à maiore latitudine ablata minor differentiam latitudinis conſtituit. Si unius in Auſtrū, alter in Septentrionem ab æquatore diſtet, con-

III. iunctæ latitudines differentiam latitudinis exhibent. Differentia reſoluatur in miliaria multiplicando gradus per 15. minuta

Appendix. diuidendo per 4. Cum enim uni gradui 15. miliaria reſpondeant, 4. minutis unum congruet miliare. Si minuta minoris latitudinis ſubtrahi non poſſint, à minutis latitudinis maioris, pro integero gradu minuta 60. ſumantur, & minutis ſuperioris latitudinis addantur, & ſubtractio more ſolito fiat.

Exempla. Exempla.

I. Argentina ſecundum noſtrum Catalogum locorum obtinet 27. grad. 52. minut. longitudinem, latitudinem 48. grad. 45. minut. Maſſilia ciuitas Narbonenſis Galliæ eandem habet longitudinem, ſeu eodem quo Argentina interuallo abeſt ab Inſulis fortunatis, latitudinem uero diuerſam 43. grad. 6. minut. ſeu pa-

rallelum

rallelum alium habet. Differentia latitudinis eſt 5. graduum 39. minut. Multiplico 5. gradus per 15. proueniunt 75. miliaria germanica, 39. minuta diuido per 4. emergunt 9. miliaria cum $\frac{3}{4}$, quæ prioribus adiuncta efficiunt diſtantiam 84. miliarium & trium quartarum, quibus Maſſilia diſtat Argentina meridem uerſus.

I I. II.

	Longitudo	Latitudo
Francofordiæ ad Mœnum.	29 grad. 0 min.	50 grad. 12 min.
Hayldelbergæ.	29 grad. 0 min.	49 grad. 35 min.

Differentia latitudinis 0. grad. 37. min.

Interuallum 9. miliarium $\frac{1}{4}$.

I I I. III.

Vitebergæ	33 grad. 52 min.	51 grad. 52 min.
Tridenti	33 grad. 52 min.	45 grad. 14 min.

Differentia 6. grad. 38 min.

Interuallum eſt 99. miliarium & $\frac{2}{4}$.

I I I I. IIII.

Bethaniæ	66 grad. 0 min.	31 grad. 58 min.	Ioh. 11. 1. 12.
Hieroſolymorum	66 grad. 0 min.	31 grad. 55 min.	Math. 21. 26.

Differentia 3. minutorum. Marc. 11. 14.

Diſtant ergo tribus quadrantibus unius miliaris. Lucæ. 24. fit mentio Bethaniæ.

V. V.

Naſareth	66 grad. 56 min.	32 grad. 42 min.	De Caper. fit
Capernaum	66 grad. 53 min.	32 grad. 29 min.	mentio

Differentia 13. minutorum, quæ tria miliaria & $\frac{1}{4}$ efficiũt. Math. 4. 8. 11.

Lucæ 4. 7. 10.

In conſideratione horum locorum multæ piæ cogitationes de Chriſto & eius doctrina ſe offerunt pio homini. Ioh. 2. 4. 6.

DE LOCIS SOLA LONGITV-dine differentibus. 3.

Loca longitudine ſola, quæ diſſident, uel in æquatore uel parallelo circulo numerantur. In æquinoctiali quidem, cum duorum locorum, quibus ipſi ſubſunt, diſtantia inueſtigatur. In parallelo autem, cum inquiritur diſtantia eorum locorum, quæ extra æquinoctialem ſita ſunt. Eſt autem parallelus minor circulus undiq; æqualiter ab æquinoctiali parallelorum maximo diſtans, & per loci, qui in quæſtionem uenit, uerticem tranſiens ſecundum longitudinem ſeu ab occaſu in ortum, ac meridianũ in duobus punctis interſecans. Cum uero ſphæra quælibet à medio ad extrema progrediendo coarctetur, neceſſe eſt ipſos parallelos ſubinde fieri eò minores, quo ad mundi polos acceſſerint propius. Cum igitur omnes circuli in 360. partes æquales ſecentur, intelligi poteſt facilè gradus etiam ſubinde minores fieri gradibus eorum parallelorum, qui æquinoctiali ſunt uiciniores, Et ideo in terreni Globi ſuperficie non 15. miliaria uni gradui ſed minus proportione reſpondere.

Parallelus quid.

Hæc proportio ſeu ſpacium in terræ ſuperficie unicuiq; parallelo, & ſingulis eius gradibus reſpondens hoc fundamento inueſtigari ſolet. I. Primum latitudinis ſeu Eleuationis poli gradum loci alicuius propoſitum à toto quadrante ſeu 90. gradibus ſubtrahito, relictum dicitur complementum. II. Hoc immitte in tabulas Sinuum, & eius ſinum ibidem excipito. III. Tertio pro inuentione arcus ſinus excepti conſiderandum uenit, eam eſſe Analogiam ſeu proportionem quadrantis paralleli alicuius ad æquinoctialis quartam partem, quæ eſt ſinus excepti ad ſinum totum. Vt igitur ſe habet ſinus totus ad inuentum ſinum, ita quarta pars circuli magni ad quadrantem huius paralleli ſe habet. Ponitur ergo primo loco in regula proportionum ſinus totus 10000000. abiectis duobus ultimis cyphris, ſecundo loco ſinus exceptus etiam ablatis duabus ultimis cyphris, tertio 90. gradus quadrantis, & facta operatione cognoſcitur, quot gradus æquinoctialis quadranti paralleli iſtius reſpondeant. IIII. Vltimo gradus multiplicati per 15. & minuta diuiſa per 4. oſtendunt miliaria reſpondentia quadranti paralleli, quæ rurſus diuiſa per 90. aperiunt ſpacium quod uni gradui paralleli congruit.

Quomodo inueniatur quod miliaria uni grad. alicuius paralleli in terra debeantur.

Exemplum.

Exemplum.

Quæritur quot miliaria conueniant uni gradui paralleli eius loci, qui polum ſupra Horizontem Eleuatum habet 49. Gradib.

I.

Subtraho 49. gradus à 90. & relinquitur complementum 41. grad.

II.

Huius complementi ſinum in canone deprehendo eſſe 65605|90.

III.

Iam dico ut ſe habet integer ſinus ad ſinum modò exceptum, ita ſe habent 90. æquatoris ad 90. gradus paralleli tranſeuntis per uerticem loci propoſiti. operatio igitur talis eſt.

```
1 0 0 0 0 0—6 5 6 0 5—9 0
                      9 0
_______________________________
          5 9|0 4 4 5 0  ( 59 grad.
          1  |0 0 0 0 0
```

Poſt diuiſionem ſuperſunt 4450. quæ per 60. multiplicata producunt 267000. quæ diuiſa rurſus per ſinum relinquunt duo minuta. Reſpondent ergo quadranti paralleli gradus æquinoctialis 59 & 2 m̃.

IIII.

```
  5 9—2 m̃
    1 5
  _____
  2 9 5
  5 9
  _____
  8 8 5  ( 9. miliaria
    9 0.
    7 5
    6 0
  _______
4 5 0 0
      2
  _______
4 5 0 2  ( 50 m̃.
  9   0
```

Ergo uni gradui iſtius paralleli congruunt 9. miliaria 50. min.

Ex hoc fundamento tabula ſequens compoſita eſt, quæ oſtendet ſpacium in terræ ſuperficie reſpondens ſingulis parallelorum partibus.

TABVLA NVMERALIS,

continens gradus longitudinis extra æquinoctialem in milliaria conuerſos.

Grad.lati.	Milliaria	Minuta	Grad.lati.	Milliaria	Minuta	Grad.lati.	Milliaria	Minuta	Grad.lati.	Milliaria	Minuta	Grad.lati.	Milliaria	Minuta
1	14	59	19	14	11	37	11	59	55	8	36	73	4	23
2	14	59	20	14	6	38	11	49	56	8	23	74	4	8
3	14	58	21	14	0	39	11	39	57	8	10	75	3	53
4	14	58	22	13	54	40	11	29	58	7	57	76	3	38
5	14	56	23	13	48	41	11	19	59	7	43	77	3	22
6	14	55	24	13	42	42	11	9	60	7	30	78	3	7
7	14	53	25	13	36	43	10	58	61	7	16	79	2	52
8	14	51	26	13	29	44	10	47	62	7	2	80	2	36
9	14	48	27	13	22	45	10	36	63	6	48	81	2	21
10	14	46	28	13	15	46	10	25	64	6	34	82	2	5
11	14	43	29	13	7	47	10	14	65	6	20	83	1	50
12	14	40	30	12	59	48	10	2	66	6	6	84	1	34
13	14	37	31	12	51	49	9	50	67	5	52	85	1	18
14	14	33	32	12	43	50	9	38	68	5	37	86	1	3
15	14	29	33	12	35	51	9	26	69	5	23	87	0	47
16	14	25	34	12	26	52	9	14	70	5	8	83	0	31
17	14	21	35	12	17	53	9	2	71	4	53	89	0	16
18	14	16	36	12	8	54	8	49	72	4	38	90	0	0

VSVS TABVLÆ.

His cognitis facilè erit diſtantiam inuenire eorum locorum, quæ ſola longitudine differentia ſub eodem collocata ſunt parallelo.

Primo

Primo igitur omnium ex tabula antecedenti inueſtigandum eſt ſpacium in terra reſpondens uni gradui iſtius paralleli, ſub quo duo data loca ſita ſunt, hoc modo.

Ingredere cum gradibus latitudinis ſeu eleuationis poli, quantitate enim arcus non differunt hæc duo, tabulam dictam, & ibidem uerſus dextram numeros miliarium & minutorum inuenies, quæ uni gradui paralleli habentis datam latitudinem congruunt. I.

Si adhæreant latitudinis gradibus etiam minuta, ut plerunq; uſu uenit, ſic partem proportionalem minutis debitam uenaberis. Primum quæras in tabula, quot miliaria & minuta integris conueniāt gradibus. Secundo inueſtiges miliaria & minuta latitudini proximè ſequenti cōgruentia, & minora à maiori ſubtracta, relinquunt differentiā medio loco in regula proportionū ponendam. Primum obtinent locum 60. minuta, tertium minuta latitudini propoſitæ adiuncta. Facta operatione, quæ producuntur minuta ſubtrahenda ſunt à prioris latitudinis miliaribus & minutis, ac conſtabit de parte proportionali, quæ minutis integris latitudinis gradibus adhærentibus debetur. Appendix.

Habito inuentoq; ſpacio, quod uni gradui paralleli loci alicuius in terra congruit, longitudo minor à maiori ſubducta, relinquit longitudinis differentiam, quæ per miliaria & minuta modo paulò antè expoſito inuenta multiplicata producit ueram locorum diſtantiam. II.

Obſeruandum eſt autem miliaria per gradus multiplicata, producere miliaria, per minuta uero, minuta, & gradus per minuta multiplicatos minuta miliarium, minuta uero miliarium per minuta graduum multiplicata, ſecunda gignere, ut è tabella ſubiecta patebit. Cautela I.

Si multiplicaueris	miliaria	per	gradus	prouenīunt	miliaria
	miliaria		m̄. gra.		minut. mil.
	minuta miliar.		gradus		minuta miliarium
	minuta miliar.		minuta miliar.		ſecunda miliarium.

II. Secundò & hoc notandum eſt, ſi gradibus differentiæ minuta
ſint adiuncta, ut plerunque fieri conſueuit, partem proportionalem
ipſis reſpondentem hoc modo quærendam eſſe, ut primum obti-
neant locum in regula proportionum 60. minuta, ſecundum in-
tegra miliaria cum minutis ex tabula miliarium accepta, tertium
minuta differentiæ gradibus addita. Et facta operatione, quæ mi-
liaria & minuta proueniunt, prioribus addijcienda eſſe. Cui,
Facilior operationis modus. hæc operatio difficilior uideatur & intricatior, is integrum ope-
randi modum abſoluat regula trium numerorum: & meminerit
primo loco 60. minuta, ſecundo miliaria in minuta per 60. re-
ſoluta, & adhærentibus addita, tertio differentiæ gradus per
60. minuta in minuta reſolutos & uiciſſim additos minutis ad-
iacentibus ponendos eſſe. Et facta operatione minuta prouenire,
eaque rurſus per 60. minuta diuiſa miliaria & minuta producere.

Exemplum.

Hieroſolyma & Alexandria ſub eodem parallelo ſunt, ſeu æ-
quali abſunt interuallo ab æquinoctiali uerſus ſeptentrionem, ut
Ptolomæus annotatum reliquit. Vtriusque enim loci latitudo ſeu
eleuatio poli eſt 31. grad. 10. minut.

Hieroſolymorum uerò longitudo eſt	66	grad.	0	min.
Alexandriæ	60	grad.	30	min.

Quoniam igitur longitudine tantum diſcrepant, primum ſub-
I. traho longitudinem Alexandriæ à Hieroſolymorum, & relinqui-
tur differentia longitudinis 5. grad. 30. min.
Secundò, quæro ex tabula miliarium, quot miliaria & minuta
II. uni gradui paralleli iſtius, qui per Zenith ſeu σημεῖον κατὰ κορυφὴν
datarum ciuitatum tranſit, reſpondeant, & inuenio è regione 31.
latitudinis 12. miliaria & 51. minuta. Sed quia adhærent la-
titudini 10. minuta, excipio miliaria & minuta è regione Eleua-
tionis poli maioris 32. grad. collocata, 12. nimirum & 43.
quæ ſubtracta à miliaribus & minutis paulò antè inuentis, pariũt
differentiam 8. minutorum, quæ medio loco regulæ trium nu-
merorum ponitur. Primum 60. minuta, tertium 10. minuta
latitudini adiuncta obtinent.

60 ——————— 8 ——————— 10. Facta
multiplicatione ac diuiſione producitur unum minutum
& 20. ſecunda abducendum à minutis miliarium prioris
Eleuationis

Eleuationis &, emergunt 12. miliaria 49. minuta 40. ſecunda, pro quibus cum 30. minuta ſuperent, ſumo 1. minut. & efficiuntur 12. mili. 50. minuta.

Tertio, multiplica differentiam longitudinis 5. grad. cum 12. III.
miliaribus & 50. minutis hoc modo.

12	miliaria	50	minuta
5	differentia	5	differentia
60	miliaria	250	minuta, quæ

diuiſa per 60. cum tot unum conſtituant miliare, producunt 4. miliaria & 10. minuta, quæ prioribus addita, efficiunt 64. miliaria & 10. minuta.

Et quia iam grad. differentiæ longitudinis etiam adiacent 30. IIII.
minuta, quærenda eſt pars proportionalis illis reſpondens hoc modo. 60——12 mil. 50 min. id eſt, 770——30 min.

30

23100

60 (385. min.

quæ diuiſa rurſus per 60. pariunt 6. miliaria 25. minuta. Hæc addita primo inuentis loco, procreant 70. miliaria, & 35. minuta. Facilius & citius operationem abſolues, ſi initio hac regula uſus fueris.

60—12 mil. 50. m̄. i. 770 5 grad. 30. min. i. 330.

330

23100

2310

254100 (4235 minuta

60 60 (70 mil. 35. min.

Aliud exemplum.

Abuſinæ Abenſperg patriæ Iohannis Auentini Hiſtoriographi longitudo eſt 29. grad. 37. minut. latitudo 48. grad. 40. minut. Tubingæ longitudo 26. grad. 23. min. latitudo 48. grad. 40. min. ut Apianus annotauit.

Differentia longitudinis.

3. grad. 14. minut.

Vni gradui paralleli communis utriq; loco competunt 9. milia 54. min. diſtant ergo hæ duæ ciuitates 32. miliaribus.

III.

Philippi Alexandri patria	50	45	41	50
Roma	36	20	41	50

Differentia longitudinis 14 grad. 25. min. uni gradui paral leli cõmunis reſpondent 11. miliaria 11. min. Interuallum eſt 161. miliarium 13. min.

DE LOCIS, QVORVM DIFFERENTIA longitudinis ſemicirculum ſeu 180. gradus ſuperat.

Propoſitorum duorum locorum, quorum differentia maior eſt ſemicirculo, diſtantia ea non eſt, quæ ex operatione etiam recte, pro ut regula exigit, inſtituta, procreatur, quòd ab uno tantũ puncto, occaſu uidelicet uerſus ortum ea numeretur. Poteſt autem contingere, ut loci uix 8. Gradib. diſtantes, ſi retro inſtituatur numeratio, uideantur diſſidere plus 300. partibus, cum fieri haud poſſit, ut locus aliquis ab altero abſit longius, quàm medietate ambitus terreni globi. Oblatis igitur eiuſmodi locis, ſi uerum eorum interuallum cognoſcere cupias, longitudinem maiorem auferto à toto circulo ſeu 360. gradib. relicto autem minor addita longitudo, differentiam longitudinis ueram gignit.

Exemplum I.

Inſula S. Iacobi in America habet longitudinem 356. grad. o. m̃. Finis terræ in Hiſpania 4. grad. 23. min. Horum duorum locorum differentia longitudinis uidetur eſſe 351. grad. 37. min. ſi initium numerationis facimus à meridiano inſularum fortunatarum. Vera autem diſtantia inuenitur retro numerando, quod fit ſi longitudo maior abſtrahatur ab integro circulo, & relicto addatur minor longitudo. Differentia igitur uera eſt 8. grad 23. min.

II.

Inſulæ S. Iacobi in Oceano occidentali ſitæ longitudo eſt 351. grad. o. min. Lyſibonæ Luſitaniæ 4. grad. 18. min. Differentia longitudinis retro numerata eſt 13. grad. 18. min.

III.

Spagnollæ inſulæ ſupra Americam, in qua lignum Guaiacum inuenitur,


inuenitur, longitudo eſt 315. grad. 0. min.

Canaria inſula in Oceano occidentali una ex fortunatis, habet longitudinem 1. grad. 0. min. Differentia eſt 46. grad.

DE LOCIS SIMVL LONGITVDINE & latitudine differentibus, & in eandem ab æquinoctiali partem declinantibus.

Diſtantia locorum, quæ & longitudine & latitudine diſcrepantes diuerſos parallelos & meridianos habent, inquiri aliter ſolet, quàm eorum locorum, quæ uel ſola longitudine, uel latitudine diſſident. Huius enim fundamentum computationis conſiſtit in propoſitione penultima primi Elementorum Euclidis libri, qua demonſtratur quadratum ex latere ſubtendente angulum rectum deſcriptum æquale eſſe, duobus quadratis, ex lateribus rectum angulum includentibus deſcriptis. Quare, ſi cognita fuerint duo latera angulum rectum ambientia, quantitas etiam lateris angulum rectum ſubtendentis in cognitionem facile uenit. Etſi autem hæc Euclidis propoſitio de angulis intelligenda eſt rectilineis, tamen ad hunc uſitatè tertium modum etiam accommodari ſolet. Nam, Meridiani & paralleli per loca data ducti, una cum linea tertia, quæ per tranſuerſum loca conuertit, & uiam itinerariam oſtendit, triangulum rectangulum conſtituunt, cuius duo latera rectum angulum continentia, ſunt ex differentijs longitudinum & latitudinum nota, Tertium uero recti ſcilicet anguli Hypothenuſa, quæ itineri locorum reſpondet, incognitum eſt, & inquirendum primum ex duobus notis. Cum autem propoſitio duorum laterum rectanguli trianguli, rectum angulum complectentium, quadrata æqualia eſſe quadrato deſcripto ex Hypothenuſa rectum angulum ſubtendente, ſeu deſcripto ex latere recto angulo oppoſito, oſtendit: gradus differentiæ longitudinis & latitudinis in miliaria conuerſi, primum in ſe multiplicantur, deinde coniunguntur, ut proueniat quadratum Hypothenuſæ, poſt radix extrahitur, quæ oſtendat quantitatem Hypothenuſæ, ſeu itineris locorum. Hæc, & præmiſſa de locis uel longitudine, uel latitudine ſola diſtantibus, ex ſubiectis Schematibus manifeſtiora euadent.

Septentrio




Explicatio Schematis.

Linea E F æquinoctialem refert, B C parallelum æquatori uiciniorem, per uerticem loci C ductum. Linea uero A D parallelum diſtantiorem, per uerticem locorum A D tranſeuntem. Linea A B E meridiem locorum A & B, linea C D F meridianum locorum C & D diſignant. His conſideratis, loca C & D longitudine quidem conuenire apparet, ut quæ eodem meridiano D C F continentur pari ab occaſu ſpacio diſtantia, ſed latitudine diſcrepare. Locus enim D quindecim gradibus longius ab æquatore abeſt, quàm C. Deſtantia igitur, qua locus C diſtat à D ex meridiani gradibus deprehenditur, cum uni eius gradui, ſicut & alterius alius magni circuli, 15 miliaria ſemper congruant. Deinde loca A & D latitudine conueniunt, latitudine diſſident, ut patet. Cognoſcitur ergo eorum interuallum ex gradibus in parallelo interceptis, ſi prius conſtiterit, quot miliaria uni gradui iſtius paralleli cedant. Tertio loca A & C longitudine pariter & latitudine differunt, ut quorum diuerſi ſunt & meridiani & paralleli. Spatium uero, quo A latus à C diſtat, inueſtigandum erit ex lienea A B, & linea B C hoc modo, li-

nea

nea A B in ſe ducitur, hoc eſt, 15. gradus differentia latitudinis, qua differt A, ab ipſo C & conſtituetur quadratum 225. Similiter B C latus differentiam longitudinis 20. grad: qua C locus ab A diſſidet, in ſe multiplicetur, & emerget quadratum 400. Hæc duo quadrata coniuncta efficient numerum 625. qui quadratū tertium inſinuat, quod duobus quadratis prioribus eſt æquale iuxta propoſitionem Euclidis ante citatam, cuius hæc ſunt uerba. ἐν τοῖς ὀρθογωνίοις τριγώνοις τὸ ὑπὸ τῆς τὴν ὀρθὴν γωνίαν ὑποτεινούσης πλευρᾶς τετράγωνον, ἴσον ἐστὶ τοῖς ἀπὸ τῶν τὴν ὀρθὴν γωνίαν περιεχουσῶν πλευρῶν τετραγώνοις. In rectangulis triangulis, quadratum quod à latere rectum angulum ſubtendente deſcribitur, æquale eſt eis, quæ à lateribus rectum angulum continentibus deſcribuntur quadratis, ut ex ſequenti figura apparet.



H Ex qua

Ex quadrato 625. radix quæſita numerum partium lineæ διαγωνίου ſiue ὑποτεινούσης A C oſtendit, qui 25. complectens itinerariam diſtantiam, qua locus A diſtat à C indicat. His prælibatis & cognitis ad ipſam operationem accedendum eſt, quæ ſeptem his regulis abſolui poteſt.

I. Primo, Quæratur tam longitudinis quàm latitudinis differentia ſubtractione minoris numeri à maiori. Ex his enim ſegmentis circulorum tam cœleſtium, quam terreſtrium angulum rectum compræhendentibus inueſtiganda eſt longitudo eius lineæ aut arcus, qui rectè angulum ſubtendit, qui idem ueram locorum datorum diſtantiam continet.

II. Secundo, Latitudinis differentiam in miliaria germanica multiplicando gradus per 15. & diuidendo minuta per 4. conuertas, & notes. Differentiæ enim latitudinis gradus ſunt meridiani circuli partes, quarum una cum 15. miliaria efficiat, omnes gradus differentiæ in miliaria commutari multiplicatione per 15. facilè intelligitur.

III. Tertio, Dimidium differentiæ latitudinis adijciendum eſt latitudini minori. Cum enim paralleli inter ſe ſint inæquales admodum, ac uni gradui paralleli, pro ut magnus aut paruus eſt, plus etiam minusúe in terræ ſuperficiæ congruat, parallelus inquiritur inter data loca proportione Arithmetica medius. Nam is propemodum tanto eſt maior minori parallelo, qui Septentrioni eſt uicinior, quanto minor eſt maiori parallelo, ut qui æquatori eſt propior. Hic ergo mediocris parallelus prodit, ſi differentiæ dimidium latitudini minori addatur.

Cognito hac parallelo medio, ex tabella miliarium antecedenti excipito numerum miliarium & minutorum uni gradui talis paralleli reſpondentium, ut ſupra monſtratum eſt.

IIII. Quarto, Inuentis hoc modo miliaribus & minutis per regulam trium numerorum quærito, quot miliaria conueniant differentiæ longitudinis. Primum in regula locum 60. Secundum miliaria & minuta ex tabula deſumpta & in unam denominationem redacta. Tertium differentia longitudinis in minuta conuerſa obtinet. Facta multiplicatione & diuiſione procreabuntur minuta, quæ in ſe multiplicata producunt prius quadratum.

Quinto, Miliaria per 2. præceptum in quiſita reſolue per 60. in minuta miliarium, eaq́ꝫ quadra, ſeu in ſe multiplica, ac prioribus minutis in ſe ductis adiunge. V.

Sexto. Ex quadratis ita iunctis extrahito radicem quadratam, quæ locorum diſtantiam aperit & patefacit. Cum enim ex penultima propoſitione 1. libri Euclidis, ut antea quoq́ꝫ delibatum eſt, manifeſtum ſit angulum, qui ex differentijs longitudinis & latitudinis conſtituitur, rectum eſſe, ratiocinamur Hypotenuſam eius anguli uerum datorum locorum interuallum monſtrantem inquiri poſſe, ſi differentiæ tam longitudinis, quam latitudinis quadrentur, ac coniungantur, & ultimo ex aggregato radix extrahatur, quæ Hypotenuſam anguli recti docet. Etenim, cum propoſitio monſtret duo quadrata laterum rectum angulum comprehendentium eſſe æqualia quadrato, quod a latere ſubtendente rectum angulum deſcribitur, perſpicuum euadit, quadrata coniungenda, ex ijsq́ꝫ radicem quadratam extrahendam eſſe, ut datorum locorum proxima intercapedo exeat. VI.

Exemplum.

Naſareth habet longitudinem 67. fere grad. latitudinem 33. grad. fere. Hieroſolymorum longitudo eſt 66. grad. latitudo 32. fere grad. neglectis paucis minutis, quæ errorem nullum pariunt. Hæ duæ ciuitates ſub diuerſis & parallelis & meridianis ſitæ ſunt.

Primum igitur quæritur differentia tam longitudinis, quam latitudinis. Et eſt utriuſq́ꝫ differentia 1. grad. I.

Secundo, differentia latitudinis conuertitur in miliaria germanica multiplicando gradus per 15. cum itaq́ꝫ 1. gradus latitudinis ſit differentia, 15. miliaria proueniunt. II.

Tertio, dimidium differentiæ latitudinis uidelicet 30. minuta addo latitudini minori, & emergunt 32. grad. 30. minut. Cum hac latitudine ingredior tabellam miliariū, & e regione latitudinis 32. grad. excipio miliaria reſpondentia uni gradui paralleli medij, quorum ſunt 12. & 43. min. Et quia adhærent minuta communi latitudini 30. confero 12. mil. & 43. min. ad ſequentia uidelicet 12. & 35. min. ac minora a maiori ſubtracta relinquunt differentiam 8. minutorum, quæ ſecundum locum obtinet in regula, primum 60. tertium 30. min. latitudini cōmuni addita peracta operatione more Arithmetico proueniūt 4. min. ſubtrahenda III.

à 12. miliar. & 43. minutis, & efficiuntur 12. miliaria 39. minuta reſpondentia uni gradui paralleli mediocris

IIII. Quarto, Cum differentia longitudinis ſit unius tantum gradus, hæc 12. miliaria & 39. minuta nulla ulteriori ſuſcepta operatione, in ſe multiplicanda ſunt. Quod ut expeditius fiat, ipſa miliaria prius in minuta per 60. redigenda ſunt, & exurgunt 720. quibus addita 34. minuta, efficiunt 759. Hæc in ſe multiplicata prius quadratum adducunt.

759	
759	
6831	
3795	
5313	
576081	prius quadratum.

V. Quinto, differentia latitudinis in miliaria conuerſa eſt 15. miliari: quæ ut in ſe multiplicari & rite priori adiungi poſſint quadrato, reſoluo per 60. in minuta, quorum exeunt 900. quæ in ſe multiplica alterum offerunt quadratum.

15	
60	
900	
900	
810000	alterum quadratum.
576081	prius quadratum.
1386081	tertium quadratum, ex quo radicem extraho.
	(1177 radix, quæ diuiſa per 60. producit miliaria 19. min. 37.

Et tot diſtant inter ſe miliaribus & minutis miliarium Naſareth & Hieroſolyma.

SI DATORVM LOCORVM AL-
ter ab æquatore in Auſtrum, alter in Septen-
trionem porrigatur.

Si locorum propoſitorum alter latitudinem borealem, alter auſtraulem habuerit, principio differentia longitudinis inquiratur ut in prioribus dictum eſt. I.

Secundo, latitudinis differentia non ſumitur ſubtractione minoris à maiori, ſed additione utriuſq; latitudinis. II.

Tertio, ſi latitudo utriuſq; loci eiuſdem fuerit quantitatis, ſeu æqualis, cum alterutra illorum inquirantur ex tabella miliarium miliaria uni gradui iſtius paralleli congruentia. Si uero latitudines non fuerint earundem partium & minutorum, dimidium maioris latitudinis latitudini minori adiungatur, & prodit latitudo cum qua miliaria ex tabula miliarium inquirantur & excerpantur, ut notum eſt. III.

Inuentis miliaribus & minutis uni gradui communis paralleli reſpondentibus per regulam proportionum quærito quot miliaria & minuta congruant differentiæ longitudinis ut antea in 4. præcepto 3. regulæ monſtratum eſt. Facta operatione, quod prouenit quadra. IIII.

Quinto, latitudinis differentiæ gradus multiplicato per 15. minuta diuidito per 4. productum in unam denominationem reductum etiam quadra aut in ſe multiplica. V.

Sexto, coniunge utrumq; quadratum, ex eoq; radicem quadratam extrahe, quæ in miliaria conuerſa oſtendit datorum locorum diſtantiam. VI.

Exempla. I.

Meroe regio Aetiopiæ ſub Aegypto longitudinem habet 61. parti: 30. minut: latitudinem 16. gradu: Septentrionalem Inſulæ S. Thomæ in ſinu magno Aphricæ ſitæ longitudo eſt 27. gradu: 20. minut: latitudo 16. grad. Auſtralis.

I.

Differentia longitudinis 34. gradu: 10. minut.

II.

Differentia latitudinis, quæ additione utriuſq; latitudinis procreatur, eſt 32. grad.

III.

Cum pariter abſint utrinq; uerſus polos ab æquatore, ingre‑dier cum alterius tantum latitudine 16. grad. tabulã miliarium, & inuenio uni gradui iſtius paralleli reſpondere 14. miliar. 25. minut.

IIII.

60. —— 14. mil. 25. minut. —— 34. grad. 10. min.
id eſt id eſt
865 miliar. 2050. minut.

```
        865
       2050
      43250
    1730
    1773250
     6     0      ( 29554. minuta  Hæc in
```

ſe multiplico.

```
        29554
        29554
       118216
      147770
     147770
    265986
    59108
    873438916     ( quadratum prius
```

V.

Differentia latitudinis multiplicata per 15. gignit miliaria 480. quæ per 60. multiplicata producunt 28800. minuta, quæ in ſe duco.

```
        28800
        28800
      2304000
    230400
    5760
    808704000    quadratum poſterius prius
    873438916
   1682142916    coniuncta efficiunt 3. quadratum.
```

VI.

VI.

1 6 8 2 1 4 2 9 1 6 (4 1 0 1 3. minuta quæ efficiunt 683. miliaria 33. min. diſtantiæ.

Exemplum II.

Tylæ inſulæ longitudinem habet 33. grad. latitudinem boreaſem 63. grad.

Inſulæ S. Thomæ longitudo eſt 27. grad. 20. min. latitudo auſtralis 16. part.

I.

Differentia longitudinis 5. grad. 40. min.

II.

Differentia latitudinis 79. grad: 0. min.

III.

Maior latitudo 63. grad: dimidium eius eſt 31. grad: 30. min. quod additum latitudini minori 16. grad facit 47. grad: 30. Cum hac latitudine quæro miliaria reſpondentia uni gradui iſtius paralleli, & inuenio 10. miliaria 8. minuta.

IIII.

60 —— 10 mil. 8. —— min. 5. grad. 4 0. min.
id eſt 6 0 8 id eſt 3 4 0

```
      3 4 0
  ---------
  2 4 3 2 0
  1 8 2 4
-----------
2 0 6 7 2 0
      6   0    ( 3445. minuta Hæc in ſe
```

multiplicata offerunt prius quadratum.

```
        3 4 4 5
        3 4 4 5
  -------------
      1 7 2 2 5
    1 3 7 8 0
  1 3 7 8 0
1 0 3 3 5
---------------
1 1 8 6 8 0 2 5   prius quadratum.
```

V. Diffe-

V.

Differentia latitudinis in milliaria conuertitur 1185. quæ rurſus multiplicata per. 60. efficiunt minuta 61100.

```
        71100
        71100
    ---------
      7110000
     71100
   497700
  -----------
  50552100000   poſterius quadratum
     11868025
  -----------
  5067078025
```

(71183. minuta quæ diuiſa per 60. producunt diſtantiam 1186. miliarium 23. minuto.

Finis primi modi.

QVOMODO

QVOMODO LOCORVM interualla vero Fundamento ex ſinuum tabulis inueſtigentur.

EXplicato uulgari & uſitato computandi locorum diſtantias modo, reſtat, ut breuiter & eadem methodo alteram rationem aperiamus & perſequamur. Hæc enim uero fundamento doctrinæ triangulorũ ſphęricorum certiſsimè locorum metitur interualla. Quare ſtudioſi diligentes, & ſolidam rerum cognitionem affectantes, non uulgari illa ratione contenti, ſed ad hanc ueram & eruditam computationem animum applicare debent. Vſitatus enim calculus à uerò ſæpè aberrat, præſertim ubi loca duo plurimum diſtant, duas potiſſimum ob cauſas. Primum enim cum terra ſit rotunda & ſphærica interualla locorum non lineas conſtituunt rectas ſed arcus, qui quidem, ſi 10. aut plures complectantur gradus, à rectæ lineæ gradibus ſenſibili diſſident errore. Atqui propoſitio lib. 1. Elementorum Euclidis penultima non de ſphæricis ſed rectis rectanguli trianguli lateribus intelligenda eſt. Quocirca non niſi notabili aliquando errore ad circumferentiæ arcus adhiberi poteſt. Deinde, etſi anguli quidem inter meridianos & parallelos conſtituti ſint recti, tamen non ſunt rectilinei, ſed ſphærici. Eadem itaq; triangulorum rectilineorum, quales in hac aſſumuntur computatione, ratio eſſe nequit, quæ eſt Sphæricorum, quales reuera diuerſa locorum interualla gignunt.


Haec ratio quod sit verior. NB.

Quod cum ita ſit, merito atq; iure optimo uſitatæ rationi certiſſima hæc ex Sphæricorum triangulorum noticia nata præfertur, atq; in ea plus operæ & laboris inſumitur. Triangulorum enim Sphæricorum doctrina totius ſideralis ſcientiæ fons eſt, ex quo, præeuntibus obſeruationibus, omnia quæ difficillima & humanum ſuperantia captum in Aſtronomia uideri aliquando ſolent, emanãt. Hæc alas Aſtronomo addit, quibus in cœlum uſq; euolare, & cognoſcere poſſit, quæ ſint ſtellarũ magnitudines, quas à ſe inuicem & à terræ centro diſtantias obtineant, quos ſortiantur motus, quas leges & uices.

Vt autem hæc ratio intelligi melius & diſci facilius poſſit, antequam ipſa doceatur operatio, Tyronibus uocabula quædam, & tabularũ, ex quibus operatio ipſa inſtituitur, uſum declarabimus. Fontes præceptorum è Regiomontani & Copernici libris, & erudito Doctoris Caſpari Peuceri pręceptoris mei colendi libello, quem de diſtantijs locorum conſcripſit, petant atq; inueſtigent.

Vocabulorum declaratio.

Chorda, ſiue ſubtenſa, ſiue ſubtendens dicitur linea recta, ſubtendens arcum in duo æqualia, circulum diuidens, ad quorum utrumq; pariter refertur 1. ut in circulo ſequenti a b c, cuius centrum f, recta a e c diuidens circulum in duo ſagmenta inæqualia, quorum minus a b c, maius a d b, uocatur Chorda, propriè ſubtenſa, quòd utramq; circumferentiam, tam minorem ſemicirculo a c b, quàm maiorem a b d ſubtendat. Hæc Chordâ lineâ c e f d è centro ducta ſecatur in duo æqualia per 10. primi Elementorum Euclidis, & ipſe arcus interceptus quoq; æqualiter ſecatur, ut ex tertia tertij Elementorum Euclidis & 4. primi, & 26. tertij declaratur. Vtimur autem dimidiatis Chordis quod per 15. propoſitionem 5. Elementorum eandem habeāt inter ſe rationem quantitates diuiſæ, quam coniunctæ.



Sinus rectus eſt ſemiſſis rectæ ſubtendentis arcum, ſeu ſinus eſt Chordæ dimidium uel rectæ lineæ ſubtendentis arcum auulſum ſeu interceptum datæ circunferentiæ, ut ſecta linea a, b per æqualia in e, erit a e ſinus, ſemiſſis ſubtenſæ a b, quæ ſubtendit arcum a c b, qui eſt duplus ad arcum a c. Sic e b eſt ſinus arcus c b. Ita recta linea a b uocatur Chorda, ſinus, uel ſemiſſis a e, uel e b, rectus.

Cæterum totam ſubtenſam, a b, plerique ſcriptores recentes, excepto Copernico, nominant Chordam arcus a c b, Suntque Chordæ & ſinus appellationes ab Arabicis mutuati ſcriptoribus. Græci uoces habent nullas peculiares illis reſpondentes, ſed in genere tantum rectas in circulo appellitant lineas, quas hodie chordas uocamus. Ac Chordas quidem nominãt omnes in circulo productas lineas rectas præter diametrum, ſeu eam, quæ per centrum circuli ducitur, quæ omnibus Chordis eſt maior. Sinus Græci ſemiſſes rectas uocant.

Chorda et ſinus quod Arabicæ voces.

Sinus totus.

Sinus totus ſeu diametri ſphæræ ſemiſſis, utpote linea f g, nuncupatur ſinus totius quadrantis, ſeu dimidia diameter inſiſtens integrè diametro ad angulos rectos, & ſubtendens circuli quadrantem c b g.

Complementum.

Complementum nominatur arcus, qui cum dato arcu circuli quadrantem abſoluit, ut dati arcus c b complementum eſt b g, qui coniuncti quadrantem circuli conſtituunt.

Sinus rectus primus.

Sinus rectus primus dati arcus eſt is, quem poſt Chordæ deſcriptionẽ definiuimus. Hic primo ſemper intelligitur, quoties ſinus occurrerit appellatio, ut dati arcus c b ſinus rectus primus eſt e b.

Sinus rectus ſecundus.

Sinus rectus ſecundus eſt linea recta arcui complementi ſubtenſa diametro ad angulos rectos inſiſtens, ut complementum dati arcus eſt b g, Sinus ſecundus congruens arcui eſt b h, hunc complementi ſinum, alij baſin uocant.

Sinus uerſus.

Sinus uerſus uel ſagitta eſt differentia ſinus recti ſecundi & ſinus totius, ut dati arcus e b ſagitta eſt e c.

Eſt enim c e exceſſus totius ſinus c f ſuper ſinum rectum ſecundum b h, Vnde cognito arcu a b c, habebitur Chorda a b, Quare & e b cognoſcitur, cum ſit dimidium a b. Et ita arcu propoſito ſinus rectus eſt dimidium Chordæ dupli illius arcus, quo habito ſinus uerſus ex demonſtratis ab Euclide habebitur, ducendo e b in ſe, & quadratum hoc deducendo

ex quadrato F C & reſidui ſumendo latus ſeu radicem quæ eſt quantitas F E, qua detracta ex F C. relinquitur E C ſinus uerſus.

Explicatis uocabulis, quorum cognitio ad hanc neceſſaria eſt tractationem, ipſam πρᾶξιν exordiemur, premiſſ. tabulorum uſu generali.

Vſus tabularum generalis.

Sinuum tabulæ numeris exprimunt dimidiatorum arcuum dimidiatas ſubtenſas talium partium, qualium ſemidiameter, quę ſinus appellatur totus, pro libitu quidem, ſed certo tamen numero aſſumitur. Hinc quantum cuilibet parti peripheriæ reſpond eat Geometrica ratione inuentum, & in tabulas relatum eſt. Nos utemur tabula, quæ ſemidiametrum ſeu ſinum integrum præſupponit 10000000. partium.

Huius in hoc negocio duplex eſt Vſus, aut dato arcu ſinum inquirimus laterali ingreſſu, aut ſinu dato arcum æreali inueſtigamus ingreſſu. In priori caſu ſic proceditur, quandocunq; dati arcus ſinum rectum primum ſcrutaris in ſuperiore tabulæ parte integros gradus, in margine autem ſiniſtra deſcendendo minuta, ſi qua ad hæſerint gradib. inuenies.

Sed dato ſinu arcum correſpondentem ſic inuenito, Datum ſinum quæras in area tabulæ, qui ſi ſumma ſe præciſione offerat, in capite tabulæ gradus, in ſiniſtro margine minuta accipito. Si uero non inuenias præciſe, accipito proximè minorem, eumq; à ſequenti aufferto, differentiam primo loco in proportionum regula, ſecundo 60. collocato. Tertio ſubtrahito proximè minorem numerum à tuo dato & propoſito, & differentiam 3. loco ponito. Facta operatione proueniunt minuta ſecunda ultra grad. & minuta prima.

Exemplum primi caſus.

Latitudo Tubingæ eſt graduum 48. minut. 40. datur igitur arcus, cuius ſinus ſit inquirendus. Quæro 48. grad. in ſuperiori parte tabulæ, & minuta in ſiniſtro margine, è regione offertur in angulo communi ſinus rectus 7508801. Si cupias habere ſinum uerſum ſeu ſagittam, ſubtraho Eleuationem poli à 90. gradibus, remanet complementum 41. grad. 20. minut. huius ſinum inuenio 6604386. quem ſubtraho à toto ſinu 10000000.

& pro=

& prodit ſagitta ſeu ſinus uerſus 3395614.

Exemplum ſecundi caſus.

Proponitur nobis quantitas E B ſinus 6483413. quæritur quæ ſit quantitas circumferentiæ C B. in area quæro hos numeros, & e regione inuenio 25. minuta & in fronte 40. gradus.

Aliud.

Proponatur ſinus 6508625. quæritur de arcu reſpondenti, præciſe non inuenio, ſumo igitur minorem 6507742. quem ſubduco à ſequenti 6509950. remanet differentia 2208. quæ primo loco ponitur in regulam, ſecundo loco 60. tertio ſubtraho hunc minorem ex tabula acceptum numerum à propoſito.

6508625 6507742 0883	Et producitur tertius numerus in regula

2208 —— 60 —— 883

60

52980

2208 (24. fere.

Ergo reſpondent ſinui dato 40. grad. 36. min. 24″.

Monſtrato nunc tabularum uſu quantum præſens poſtulat inſtitutum, ipſa computandi locorum interualla ratio ſequitur.

SI DATA LOCA AMBO ſub æquatore ſint ſita.

Loca ſub æquinoctiali ſita ipſo æquinoctiali pro circulo uerticuli utuntur. Cum autem compertum ſit uni gradui cœleſtis circuli magni 15. miliaria in terræ ſuperficiæ reſpondere, facile locorum duorum æquatori ſubiectorum diſtantia inquiri poteſt. Subtracta enim longitudo tantum minor à maiori, & differentia multiplicata per 15. & ſcrupulis diuiſis per 4. producitur diſtantia inter eiuſmodi duo loca.

Exemplum

Colipolis Indiæ ciuitas habet longitudinem iuxta Ptolomeum 164. grad. 20. Eſſina Emporium Aethiopiæ ſub Aegypto 70. grad. 3. Differentia eſt 94. grad. 17. minut. Gradus multiplico per 15. & producuntur 1410. 17. minuta diuido per 4. & emergunt adhuc 4. miliaria. Summa eſt 1414. miliarium quibus diſſiunctæ ſunt hæ duæ ciuitates.

SI DATORVM LOCVS ALTER ſub æquatore ſit ſitus, alter diſtet ab eodem uel Auſtrum uel Septentrionem uerſus.

Tria diuerſa exemplorum genera hic ſe offerunt, aut enim longitudinis differentiæ angulus continet præciſe 90. gradus ſeu circuli maximi quadrantem, aut differentia longitudinis quadrante minor, aut maior eſt.

I.

Si differentia 90. gradus complectitur multiplica eos per 15. & diuide minuta per 4. & emerget diſtantia.

Exemplum.

Nubarta Taprobanæ longitudinem habet. 121. grad. 20. Piſæ Thuſcorum in Italia habent longitudinem grad. 31. 20. minut. latitudinem grad. 42. 11. minut. Differentia eſt 90. graduum, qui multiplicati per 15. producunt diſtantiam 1350. miliarium germanicorum.

II.

Differentia longitudinis 90. grad. maior.

I. Primum ſubtrahe longitudinem minorem à maiori, Si differentia longitudinis quadrante ſeu 90. gradibus minor fuerit.
II. Deinde differentiæ complementum ſumito ſubtrahendo differen-
III. tiam à 90. gradibus. Tertio eius complementi ſinum ex tabu-
IIII. lis ſinuum quærito. Quarto latitudinem loci non poſiti ſub æquatore etiam ſubtrahe à 90. gradibus & eius complementum
V. producitur. Quinto huius complementi ſinum inueſtigato.
VI. Sexto hos duos ſinus inter ſe multiplicato: productum diuide per totum ſinum, qui eſt 100000|00. & emergit ſinus, quem quære in area tabulæ & ei reſpondentem arcum excipito.
VII. Hunc arcum ſubducito à 90. gradibus relinquitur diſtantia locorum in gradibus & minutis.

Gradus

Gradus multiplicato per 15. & ſcrupula diuidito per 4. prodit diſtantia in miliaribus germanicis. VIII.

Exemplum.

Eſſinæ Emporij Aethiopiæ ſub Aegypto in ſinu Barbarico, longitudo 70. grad. 3. minut. latitudo nulla eſt. Tyri longitudo 67. grad. 0. min. latitudo 33. grad. 20. min.

I.

Differentia eſt 3. grad. 3. minut.

II.

```
                                        9 0
                                        3    3
Complementum differentiæ longitudinis   8 6  5 7
```

III.

```
Sinus complementi      9 9 8 5 8 | 3 5
```

Compendij loco duæ poſtremæ figuræ ſunt abijciendæ in hoc & ſinu integro.

IIII.

```
       9 0
       3 3     2 0   latitudo Tyri
     ______________________________
             5 6     4 0   complentum latitudinis.
```

V.

```
Sinus complementi latitudinis   8 3 5 4 8 | 7 8
```

VI.

```
Sinus comple. differentiæ longitudinis.   9 9 8 5 8    duæ figuræ in utroq; numero abiectæ.
Sinus comple. latitu.                      8 3 5 4 8
                                    ___________________
                                         7 9 8 8 6 4
                                       3 9 9 4 3 2
                                     4 9 9 2 9 0
                                   2 9 9 5 7 4
                                 7 9 8 8 6 4
                              _______________________
                                 8 3 4 2 9 | 3 6 1 8 4   (8 3 4 2 9
                                 1         | 0 0 0 0 0
```

Sinus integer abiectis cyphris duabus eſt diuiſor, & compendij cauſa tot figuræ abijciuntur, quot ſunt cyphræ. Productum

Sinus integer diuiſor abiectis 2, cyphris.

Productum ex diuiſione quæro in area tabulæ, & proximum inuenio è regione 32. minutorum & in fronte offeruntur 56. grad. Hi ergo gradus & minuta reſpondent ſinui.

VII.

quadrans	90		
	56	32	arcus reſpondens ſinui
diſtantia in gradibus	33	28	

VIII.

Gradus 33   28 minut. (7.
        15   4
      165
      33
      495
        7
      502 diſtantia in miliaribus.

III.

Si altero propoſitorum locorum æquatori ſubiecto, altero ab eo remoto, longitudinis differentia quadrante ſeu 90. gradibus
I. maior ſit. Primo, ſubtrahe à differentia longitudinis 90.
II. gradus ſeu quadrantem. Secundo quære reſidui ſinum.
III. Tertio, ſubtrahe latitudinem alterius loci à 90. gradibus, & re-
IIII. ſidui ſinum quoque inueſtiga. Quarto, in hunc ſinum ducito
V. ſinum differentiæ longitudinis. Quinto, productum ex mul-
VI. tiplicatione diſtribuatur in totum ſinum. Sexto, nati ex di-
uiſione in tabula arcum inquirito, cui additus quadrans diſtan-
VII. tiam locorum in gradibus & minutis gignit. Vltimo gradus rurſus multiplicato per 15. & minuta partire per 4. & emerget diſtantia in miliaribus.

Exemplum.

Colipolis in aurea Cherſoneſo Iudice, extra Gangem longitudo. 164. grad. 20. minut. latitudo nulla.

Tyri longitudo 67. grad. o. latitudo. 33. grad. 20. min.

I.

Differentia longitudinis quadrante maior 97. grad. 20. minut.

II.

II.

	97	20	differentia longitu:
	90		quadrans
Complementum longitudinis	7	20	Eius ſinus eſt.

12764 | 17

III.

90		quadrans
33 grad.	20 min.	latitudo
56	40	complementum latitudinis

Eius ſinus eſt 83548 | 78

IIII.

83548 Sinus comple. latitud.
12764 Sinus comple. differentiæ longit.

```
       334192
      501288
     584836
    167096
    83548
    10664|06  672 (10664
    1    |00  000
```

VI.

Nati ex diuiſione ſinus proximum inuenio arcum 6. grad. 7. min. cui adiuncti 90. gradus producunt diſtantiam in gradibus 96. grad. 7. min.

VII.

```
   96        7 (2 ferè
   15        4
  ----
  480
  96
  ----
 1440
    2
  ----
 1442 diſtantia locorum in miliaribus germanicis.
```

SI DATA LOCA HABEANT eandem ab æquatore remotionem, & ſola differant longitudine, qualiſcunque & quanta ſit differentia longitudinis.

Locorum eidem parallelo ſubiectorum, diuerſos uero haben-
I. tium meridianos diſtantias ſic inquirito. Primum, longitu-
II. dinem minoris longitudinis à maiori ſubtrahito. Deinde
dimidium differentiæ longitudinis, & eius ſinum rectum quæ-
III. rito. Tertio, habeas latitudinis communis complementum,
quod exurgit ſi altera ſubtrahatur latitudo à 90. gradibus, &
IIII. eius complementi etiam ſinum rectum inueſtigato. Quar-
to, ſinum complementi rectum in ſinum differentiæ dimidiatæ
V. rectum ducito. Quinto, productum ex multiplicatione di-
uide per ſinum totum 100000|00. abiectis, ut antea, duabus
VI. poſterioribus cyphris. Sexto, producti ex diuiſione ex tabula
VII. Sinuum arcum reſpondentem quærito. Septimo, huius ar-
cus gradus duplatos multiplicato per 15. miliaria, & minuta
diuidito per 4. & quotientem prioribus miliaribus adijcito, &
habebis locorum intercapedinem.

Exemplum.

Hieroſolymorum longitudo eſt 66. grad. 0. minut. latitudo 31. grad. 10. min.

Alexandriæ Aegypti longitudo 60. grad. 30. min, latitudo 31. grad. 10. min.

I.

Differentia longitudinis eſt 5. grad. 30. min.

II.

Differentiæ dimidium eſt 2. grad. 45. min.
Sinus eius eſt 4797 | 81.

III.

Complementum latitudinis eſt 58. grad. 50. min.
Sinus eius eſt 85566 | 55.

IIII.

IIII.

8 5 5 6 6 comple. latitud.
4 7 9 7 comple. dimidiatæ differentiæ.

5 9 8 9 6 2
7 7 0 0 9 4
5 9 8 9 6 2
3 4 2 2 6 4

4 1 0 4 | 6 0 1 0 2 (4 1 0 4
1 | 0 0 0 0 0

VI.

Arcus reſpondens 2. grad. 21. min. In arcu quærendo memor eſſe debes, te abieciſſe duas ultimas figuras, quæ in tabulis negligendæ non ſunt.

VII.

Arcum inuentum duplo 2. grad. 2 1
2 2 1
duplatus 4 4 2
multiplicetur 1 5 4 (1 0
6 0
1 0
7 0 miliarium diſtantia.

Aliud.

Dantiſci longitudo 39. grad. 2. minut. latitudo 54. grad. 48. min.

Lubeci longitudo 28. grad. 20. min. latitudo 54. grad. (48. min.
Differentia longitudinis 10. grad. 42. min.
Dimidia differentia 5. grad. 21. min.
Sinus eis 9 3 2 3.

Arcus complementi alterius æqualium latitudinum 35. grad. 12. min. ſinus eius 57643. Hoc multiplicato per ſinum dimidiæ differentiæ longitudinis, & producto diuiſo per ſinum integrum prouenit ſinus 5374. cui in canone congruunt 3. grad. 5. min. Duplum eſt 6. grad. 10. min. multiplicati 6. gradus per 15. producunt 90. miliaria, 10. diuiſa per 4. producunt 2. miliaria cum ſemiſſe. Ergo diſtant inter ſe. 92. miliaribus & $\frac{1}{2}$.

SI DATA LOCA ET LONGItudine & latitudine differant.

Loca, quæ ſub diuerſis & parallelis & meridianis collocata

ſunt, in triplici differentia poſitam inueſtigationis rationem & methodum habent. Aut enim differentia longitudinis ad ungem 90. graduum, aut ijs maior, aut minor eſt.

I

Differentia longitudinis 90. graduum.

I. Si 90. gradus æquat, hoc modo procedas. Primum, utriusq;
II. loci latitudinis ſinum rectum inquirito. Secundo, hos ſinus inter
III. ſe multiplicato. Tertio, productum diuide per totum ſinum, &
IIII emergit ſinus, cuius arcum ex tabulis inquirito. Quarto hunc
V. arcum inuentum ſubducito ex 90. gradibus, relictum oſtendit
locorum diſtantiam in grad. & minutis. Gradus multiplicati per 15. & minuta diuiſa per 4. producunt diſtantiam in miliaribus germanicis communibus.

Exemplum.

Tacolæ, quæ Emporium eſt in aurea Cherſoneſo, hodie Malachia cognominatæ longitudo eſt 160. grad. 30. min. latitudo 4. grad. 15. min.

Trapezuntis, quæ Cappodociæ metropolis & olim Imperatorum orientalium ſedes fuit, longitudo eſt 70. grad. 30. min. latitudo 43. grad. 5. min.

Differentia eſt 90. graduum.

I.

Tacolæ latitudinis ſinus	7410 | 84
Trapezuntis latitudinis ſinus	68306 | 14

II.

```
      68306    ſinus latitud. maioris
       7410              minoris
   ----------
     683060
    273224
   478142
 -------------------------
   5061|47460   (5061
   1   |00000
```

III.

Arcus ſinui reſpondens 2. grad. 54. min. quibus ſubductis a 90. relinquuntur 87. grad. 6 min.

V

V.

87	2
15	6 (1
435	4
87	
1305	
1	
1306	diſtantia in miliaribus germa-nicis cum $\frac{1}{2}$

Secundum exemplorum genus.

Si uero data loca longitudine & latitudine differant, & longitudinis differentia ſit minor quadrante, ſic operatio inſtitui debet. Primum ſubtracta minori longitudine à maiori ſinum differentiæ inquirito. Secundo, ſinum minoris latitudinis ex tabulis excipito. Tertio, ſubtrahito latitudinem minorem à 90. gradibus, ut complementum exeat. Quarto, complementi huius ſinum inquirito. Quinto, maiorem latitudinem à 90. gradib. ſubducito, ut complementum reliquātur. Sexto, ſinum complementi latitudinis minoris multiplicato in ſinum differentiæ longitudinis. Septimo, productum ducito in integrum ſinum, & emergit ſinus, cuius arcus inquiſitus in tabulis, & demptis poſtea ex 90. gradibus relinquit inuentum primum, cuius ſinum rurſus inquirito. Octauo, ſinus latitudinis minoris multiplicetur in ſinum integrum, & productum diuidatur per ſinum primi inuenti, & exeuntis ſinus arcum inquiſitum ſerua, quòd alia calculi ratio inſtituenda ſit, ſi differentia longitudinis minor quadrante & alia ſi maior fuerit quadrante. Nono, Arcus ſeruatus additus complemento maioris latitudinis ſi aggregatum maius 90. grad. fuerit, ſubtrahito ipſum aggregatum à 180. gradibus, & prodit inuentum ſecundum, & huius ſinum inquirito. Decimo, inuenti ſecundi ſinum modò inuentum ducito in ſinum inuenti primi, productum diuide per integrum ſinum, & prodit ſinus, cuius arcum ex tabula inquiſitum à 90. gradibus ſubducito, & habebitur propoſitorum locorum diſtantia in gradibus & minutis, quibus

II

Differentia longitudinis minor 90. grad. I.

II.

III.

IIII.

V.

VI.

VII.

VIII.

Arcus ſeruandus.

IX.

X.

Differentia longitudinis minor quadrante & arcus additus complemento maioris latitudinis maior quadrante.

quibus reſpondentia miliaria modo uſitato inquire.

Exemplum.

Trapezus Cappadociæ longitudinem habet 70. grad. 30. minut. latitudinem 43. grad. 5. min. Romæ latitudo eſt 36. gra. 40. min. latitudo 41. grad. 40. min.

I.

Differentia longitudinis 33. grad. 50. min. Eius.
Sinus 5 5 6 7 7 | 9 0.

II.

Sinus minoris latitudinis 6 6 4 7 9 | 5 9.

III.

quadrans	9 0		
	4 1 grad.	4 0. min.	latitudo minor.
	4 8	2 0	comple. latitud. minoris

IIII.

Sinus comple. minoris latitudinis. 7 4 7 0 2 | 5 1.

V.

9 0		quadrans.
4 3 grad.	5. min.	maior latitudo
4 6	5 5	complementum latitud. maioris.

VI.

7 4 7 0 2 Sinus complemen. minor. latitud.
5 5 6 7 7 Sinus differentiæ longitudinis.

5 2 2 9 1 4
5 2 2 9 1 4
4 4 8 2 1 2
3 7 3 5 1 0
3 7 3 5 1 0

4 1 5 9 1 | 8 3 2 5 4
1 | 0 0 0 0 0 (4 1 5 9 1 Sinus.

VII.

Sinus inuenti arcus eſt 24. grad. 34. min. hunc à 90. grad. abijcio, & relinquitur arcus inuenti primi 65. grad. 26. min. Huius primi inuenti arcus ſinus eſt 9 0 9 4 7 | 8 1.

VIII.

1 0 0 0 0 0

1 0 0 0 0 0 ſinus integer.
6 6 4 7 0 ſinus minoris latitudinis. (uenti.
6 6 4 7 9 0 0 0 0 0 0 produ. quod diuid. per ſin. primi in-
9 0 9 4 7 (73096. ſinus cuius arcus inuenitur 46.g̃.58′.
Huius ſinus arcum inuenio 46. grad. 58 min.

IX.

Arcum ſinus poſtremū addo comple. maioris latit. & efficit 93. g̃.53′,plus quadrante. Quare ſubtraho 93.g̃.53′.à 180.g̃.& emergit arcus inuenti ſecundi 86. gra. 7. min. Sinus huius arcum inuenio 99770|40.

X.

9 9 7 7 0 ſinus ſecundi inuenti
9 0 9 4 7 ſinus inuenti primi
6 9 8 3 9 0
3 9 9 0 8 0
8 9 7 9 3 0
8 9 7 9 3 0
9 0 7 3 7 | 8 2 1 9 0 productum
1 | 0 0 0 0 0 (9 0 7 3 7 ſinus.

Huius ultimi ſinus arcus inuenitur 65. grad. 8. minutorum. Arcum à 90. ſubduco,& relinquuntur 24. grad. 52. min.

2 4 5 2 (13
1 5 4
1 2 0
2 4
3 6 0
1 3
3 7 3 diſtantia in miliaribus.

Secundo,ſi differentia longitud. minor quidem 90. grad. fuerit, ſed arcus ſecundus cōplemento latit. maior. adiunctus minus 90.
gra. efficiat, hac methodo inueſtigationis utitor. Primo,ſubtracta I.
longitudine minori à maiori diffe.ſinū inquirito. Secundo,ſinum II.
latitu. minoris. Tertio,ſubtrahito latit. minorē à 90. gra. & habe- III.
bis comple. latitu. minoris, eius ſin. inquirito. Quarto, ſubducito IIII
etiam latitud. maiorem à 90. gra. ut gignatur complementū latitu-
dinis maioris. Quinto,multiplicato ſinum differentiæ longitudi- V.
nis per ſinum cōplementi latitudinis minoris productū diuide per integrum ſinū, producti ex diuiſione arcum ex canone inquiſitum

aufferto

aufferto à 90. gradibus, & relinquetur arcus inuenti primi, huius ſinum rurſus inueſtigatum ſerua. Sexto, ſinum latitudinis
VI. minoris multiplicato in integrum ſinum, productum diuidito per ſinum inuenti primi, & emergit ſinus, cuius arcum inquiſitum ex canone adiungito latitudinis maioris complemento, & efficitur arcus inuenti ſecundi quadrante minor, ac huius arcus ſinum quo-
VII. que perſcrutator ex canone. Septimo, huius ſecundi inuenti ſinus multiplicetur per ſinum primi inuenti, & productum diuida-
VIII. tur per ſinum integrum. Octauo, ſinus ex diuiſione nati arcus inueſtigetur, & inuentus ſubtrahatur à 90. gradibus, & oſtendet arcum diſtantiæ, qui reſoluatur in miliaria, habebisq; in miliaribus datorum locorum interuallum.

Hac Methodo plerunq; utimur, cum & longitudine, & latitudine ciuitates differunt, prioris enim rationis exempla rarius occurrunt.

Appendix.

Si arcus complemento maioris latitudinis adiunctus exactè 90. efficiat gradus, prima inquiſitione inuentus arcus continebit proximam locorum diſtantiam. In hoc enim caſu inuentum primum eſt arcus circuli magni. Quare tantum in miliaria reſolutus miliaria diſtantiæ profert.

Exemplum.

Hieroſolymæ longitudo eſt 66. grad. 0. min. latitudo 31. grad. 40. minut.

Vitebergæ longitudo 30. grad. 30. minut, latitudo 51. grad. 50. min.

I.

Differentia longitudinis 35. grad. 30. minut. ſinus 5 8 0 7 0 | 3 0.

II.

Latitudinis minoris ſinus eſt. 5 2 4 9 7 | 6 6.

III.

8 9	6 0	quadrans
3 1 grad.	4 0 min.	complementum
5 8	2 0.	complementum latitudinis minoris.

Sinus

Sinus eius 8 5 1 1 1 | 6 7.

IIII.

8 9 6 0 min. quadrans
5 1 grad. 5 0 latitudo maior
3 8 1 0 complemen. latitudinis maioris.

V.

5 8 0 7 0 ſinus differentiæ longitudinis
8 5 1 1 1 ſinus cõplementi latitudinis minoris.

5 8 0 7 0
5 8 0 7 0
5 8 7 0
2 9 0 3 5 0
4 6 4 5 6 0

4 9 4 2 3 | 9 5 5 7 7 0 productum
1 0 0 0 0 0 (4 9 4 2 3. ſinus.

Huius arcus eſt 29. grad. 36. min. Hic ablatus à 90. gradibus relinquit 60. grad. 24. min. arcum inuenti primi, eius ſinus eſt 8 6 9 4 9 | 4 9. quem ſeruo.

VI.

1 0 0 0 0 0 ſinus totus.
5 2 4 9 7 ſinus latitudinis mino.

5 2 4 9 7 0 0 0 0 0 productum.
Sinus inuenti primi 8 6 9 4 9 (6 0 3 7 6. Sinus, Huius
Sinus arcus eſt 37. grad. 8. Hunc adiungo complemento latitudinis maioris 38. grad. 10. & efficitur arcus inuenti ſecundi 75. grad. 18. min. quadrante minor. Huius Sinus eſt, 9 6 7 2 6 | 7 7.

VII.

9 6 7 2 6 ſinus inuenti ſecundi.
8 6 9 4 9 ſinus inuenti primi.

0 7 0 5 3 4
3 8 6 9 0 4
8 7 0 5 3 4
5 8 0 3 5 6
7 7 3 8 0 8

8 4 1 0 2 | 2 8 9 7 4 productum.
1 | 0 0 0 0 0 (8 4 1 0 2 ſinus.

VIII.

Sinus producti ex diuiſione arcus eſt 57. g̃ 13. m̃ hic ſubtractus à 90. relinquit diſtantiam locorum propoſitorũ 32. grad. 47. min. gradus itaq; multiplicati per 15. & minuta diuiſa per 4. oſtendunt diſtantiam Hieruſalem & Vitebergæ 491. milarium cum $\frac{3}{4}$.

Aliud exemplum.

Romæ longitudo 36. grad. 40. minut. latitudo 41. grad. 40. min. Tubingæ longitudo. 29. grad. 45. min. latitudo 48. grad. 40. min. Differentia longitudinis 6. grad. 55. minut. Sinus differentiæ longitudinis 1 2 0 4 2. Sinus minoris latitudinis 6 6 4 7 9. Complementum latitudinis minoris 48. grad. 20. minut. Sinus complemen. latitudinis minoris 7 4 7 0 2. Complementum latitudinis maioris 41. grad. 20. minut. productum ex multiplicatione ſinus differentiæ in ſinum complement latitud. minoris 8 9 9 5 5 3 4 8 4. à quo 5. poſtremæ figuræ abiectæ relinquunt 8 9 9 5. cuius arcus eſt. 5. gra. 9. min. Hic abiectus à. 90. grad. relinquit 84. grad. 51. min. arcum primi inuenti. Sinus eius eſt. 9 9 5 9 6. Productum ex multiplicatione ſinus minoris latit. in ſinum integrũ eſt. 6647900000. Diuiſum per ſinum inuenti primi, producit ſinum 66748. cuius arcus eſt 41. grad. 52. min. Hic additus complemento latitudinis maioris, relinquit arcum inuenti ſecundi quadrante minorem 83. grad. 12 min. ſinus eius eſt 99296. Ex multiplicatione ſinus inuenti primi in ſinum inuenti ſecundi productum eſt 98894844 16. à quo reiectæ figuræ 5. remanet ſinus 98894. cuius arcus 81. grad. 28. min. reiectus à 90. gradibus relinquit arcum diſtantiæ 8. grad. 32. min. quibus reſpondens miliaria 128. Et tot ſunt miliaria inter Tubingam & Romam.

SI LOCA DISTENT INÆQVALITER ab æquatore, & differentia longitudinis fuerit maior 90. gradibus.

Differentia longitudinis, cum plus 90. gradibus loca diſſident, diuerſam

diuerſam à præcedente gignit inueſtigandi rationem, quam rurſus diuerſa quantitas complementi latitudinis maioris tripliciter mutat. Aut enim arcus, quem ſuperius octauo loco ſeruandum diximus, æqualis eſt complemento maioris latitudinis, aut eo maior aut minor. Primum itaq; obſeruandum eſt, an arcus iſte aſſeruatus octauo loco ſit æqualis complemento maioris latitudinis, an eo maior, an minor.

Si eſt maior complemento latitudinis maioris, ſic procedendum eſt. Primo, longitudinis differentia 90. gradibus maior, ex 180. gradibus ſubducatur, & reſidui ſinus inquiratur. Secundo, ſinum latitud. minoris, complementũ eius, ac ſinum cõplementi inquirito, deinde & comple. latitud. maioris habeto. Tertio, ſinum reſidui primo loco inuentum multiplicato in ſinum complementi latitudinis minoris, & productum diuidito per integrum ſinum, & naſcitur ſinus, cuius arcus ex canone inquiſitus, & à 90. gradibus ablatus primi inuenti gignit arcum, cuius ſinum inueſtigato. Quarto, ſinum minoris latitudinis ducito in integrum ſinum, productum diuidito per ſinum inuenti primi, & exurgit ſinus, cuius arcum quærito, & ab eo complementum maioris latitudinis abiectum parit inuenti ſecundi arcum, huius ſinum ex canone ſcrutator. Sinum inuenti ſecundi multiplicato in ſinum primi inuenti, natus inde numerus diſtribuatur in integrum ſinum, & producitur ſinus, cuius arcus à 90. gradibus abſtractus, relinquit arcum diſtantiæ, qui reſoluatur in miliaria.

Arcus ſecundus maior cõplemento latitudinis maioris.

I. II. III. IIII. V.

Exemplum.

Antiochia Margianæ Plinio Alexandria, deinde Selericia dicta longitudinem habet 1 0 6. grad. 0. min. latitudinem 40. grad. 40. min.

Toleti longitudo 7. grad. 4. minut. latitudo 37. grad. 50. min.

I.

Differentia longitudinis 89. grad. 56. min. à gradibus 180. reiecta, relinquitur differentia ad ſemicirculum 81. grad. 4. min. cuius ſinus eſt 9 8 7 8 6 | 7 8.

II.

Sinus latitudinis minoris 6 1 3 3 6 | 6 7.
Complementum latitudinis minoris 52. grad. 10. min.
Sinus eius 7 8 9 7 9 | 8 3.
Complementum latitudinis maioris 49. grad. 20. min.

III.

9 8 7 8 6 ſinus diffe. ad ſemicirculũ ſeu reſidui.
7 8 9 7 9 ſinus complement. latitud. minoris.

8 8 9 0 7 4
6 9 1 5 0 2
8 8 9 0 7 4
7 9 0 2 8 8
6 9 1 5 0 2

7 8 0 2 9 | 1 9 4 9 4
1 | 0 0 0 0 0 (7 8 0 2 0 Sinus.

Huius arcus 51. grad. 17. min. à 90. gradibus ablatus relinquit 38. grad. 43. min. arcum inuenti primi. Sinus eius eſt 6 2 5 4 6 | 9 6.

IIII.

1 0 0 0 0 0 ſinus totus
6 1 3 3 6 ſinus latitudinis minoris.

6 1 3 3 6 0 0 0 0 0 product. diuiden. per ſin. inuenti primi.
6 2 5 4 6 (9 8 0 6 5. ſinus.

Huius ſinus arcus eſt 78. grad. 43. min. Ab hoc complementum latitudinis maioris ſubtractum relinquit ſecundi inuenti arcum 29. grad. 23. min. ſinus eius eſt 4 9 0 6 5 | 0 3.

V.

6 2 5 4 6 ſinus inuenti primi
4 9 0 6 5 ſinus inuenti ſecundi.

3 1 2 7 3 0
3 7 5 2 7 6
5 6 2 9 1 4
2 5 0 1 8 4

3 0 6 8 8 | 1 9 4 9 0 Hunc diuido per ſinum totum ſeu abijcio

abijcio 5. figuras,& riſidui arcum inuenio 17. grad. 52. minut. qui demptus à 90. gradibus ſuppeditat arcum diſtantiæ 72. grad. 8. min. quibus reſpondent 1082. miliaria germanica communia.

Secundo, Si arcus ſecundus 8. loco reſeruatus, fuerit complemento latitudinis maioris minor, hac ratione diſtantia inquiritur. Arcus ſecundus complemento latitudinis maioris minor.

Primo, differentia longitudinis ex toto ſemicirculo ſeu 180. gradibus abſtrahatur, & reſidui ſinus inueſtigetur. I.

Secundo, habeantur complementum latitudinis minoris, & ſinus eius, ſinus latitudinis integræ minoris, ac complementum latitudinis maioris ut antea. II.

Tertio, Reſidui ſeu differentiæ ad hemicyclium ſinum ducito in ſinum complementi latitudinis minoris, productaq; diuiſo in ſinum integrum emergit ſinus, cuius arcus inquiſitus, & à 90. gradibus ablatus arcum inuenti primi procreat, cuius ſinus inquiratur III.

Quarto, ſinum latitudinis minoris multiplicato in ſinum integrum, productum diuidito per ſinum inuenti primi, & prouenit ſinus, cuius arcus ex complemento latitudinis maioris reiectus, reſiduum inuenti ſecundi arcum facit, cuius ſinum quoq; inueſtigato. IIII.

Quinto, ſinus inuenti ſecundi & primi inter ſe multiplicato, productoq; per integrum ſinum diuiſo prodit ſinus, cuius arcus inquiſitus ex canone, & 90. gradibus adiectus arcum diſtantiæ gignit. V.

Gradus arcus multiplicati per 15. & minuta diuiſa per 4. miliaria diſtantiæ oſtendunt. VI.

Exemplum.

Calecuthum Ptolomæo, quibuſdam Camane longitudinem habet 112. grad. 0. minut. latitud. 5. grad. 0. min. Lyſibonæ Luſitaniæ longitudo 4. grad. 18. min. latitudo 39. grad. 38. min.

I.

Differentia longitudinis 107. grad. 42. min. maior quadrante, Ea detracta ex 180. gradibus relinquit differentiam ad ſemicirculum 72. grad. 18. min. Eius ſinus 95266 | 15.

II.

90 quadrans.
5 0 latitudo minor.

---

85 0 complementum latitudinis minoris.
Sinus eius 99619 | 47.
Sinus integræ latitudinis minoris eſt 8715 | 57.
Complementum latitudinis maioris 50. grad. 22. min.

III.

95266 reſidui ſinus ſeu diffe. ad ſemicirculum.
99619 ſinus complement. latitud. minor.

857394
95266
571596
857394
857394

94903 | 03654 Hic diuiditur per integrum ſinum,
| 00000

quod fit, ſi 5. figuræ abijciantur, Eſt ergo productum diuiſionis 94903. ſinus, cuius arcus inuenitur 71. grad. 38. min. Hic à 90. gradibus abiectus relinquit arcum inuenti primi 18. grad. 23. min. ſinus eius 31509 | 70.

IIII.

100000 ſinus totus.
8715 ſinus latitudinis minoris.

871500000 produ. quod diuid. per ſin. inuen. pri.
Sin. in= 31509 (27976 ſinus.
uenti primi.

Huius arcus eſt 16. grad. 14. min. Hic ablatus à complemento latitudinis maioris relinquit inuenti ſecundi arcum 34. grad. 8. min ſinus eius eſt 56112 | 06.

V.

56112 ſinus inuenti ſecundi.
31509 ſinus inuenti arcus primi.

505008
280560
56112
168336

17680 | 33008 productum
1 | 00000 (17680 ſinus.

Huius

Huius arcus eſt 10. grad. 11. min. Huic addo 90. gradus, & emergit arcus diſtantiæ 100. grad. 11. min.

VI.

100 arcus diſtantiæ		11/4 (2. milia.
15		
500		
100		
1500		
2		
1502	3/4	miliaria quibus diſtant Lyſibona & Calecuthum.

Tertio, ſi arcus ſecundus ductu præcepti quarti antecedentis proximè caſus inueſtigatus complemento latitudinis maioris æqualis fuerit, diſtantia locorum integer quadrans ſeu miliarium germanicorum 1350. erit, nec alia indagatione hoc explorato opus eſt. Prioris igitur modi 4. præcepta ſequutus ſi arcum ſecundum complemento latitudinis maioris parem inueneris, dato loca miliaribus 1350. diſtare pronunciato.

SI DATORVM LOCORVM ALter in ſeptentrionem, alter in auſtrum ab æquinoctiali declinet.

Si locorum propoſitorum alter ab æquinoctiali in auſtrum uergat, alter ab eadem in ſeptentrionalem plagam porrigatur, primum maiorem longitudinem à maiori ſublata differentia aut 90. gradus, aut plures, aut pauciores conſtituito & propterea operationis modum uariat.

Si igitur differentia longitudinis circuli quadrantem conſtituat ſic procedito. Initio, quærito ex canone ſinum latitudinis loci ſeptentrionalis. Secundo, ſinum latitudinis loci auſtralis. Tertio, ducito ſinum latitudinis loci ſeptentrionalis in ſinum latitudinis auſtralis loci. Quarto, productum diuidito per integrum ſinum, & relinquitur ſinus, cuius arcum inquirito & 90. gradibus addito, & prodibit diſtantia datorum locorum in gradibus & minutis, quæ reſoluantur in miliaria uſitato modo.

I. II. III. IIII.

De primo caſu, cum differētia longitudinis eſt 90. grad.

Exemplum.

Baſſa Ptolomæo Inſula ad Taprobanem, longitudinem habet 126. grad. longitudinem auſtralem 6. grad. 30. min.

Camarinum

Camarinum Vmbriæ in Italia eidem habet longitudinem 36. grad. latitudinem 43. grad. Differentia eſt 90. graduum. Sinus latitudinis Septentrionalis eſt 6 8 1 9 9 | 8 4.
Sinus latitudinis auſtralis 1 1 3 2 0 | 3 2.

```
     6 8 1 9 9
     1 1 3 2 0
   -----------
   1 3 6 3 9 0
 2 0 4 5 9 7
 6 8 1 9 9
6 8 1 9 9
----------------
7 8 2 0|1 2 6 8 0
1      |0 0 0 0 0 (7 7 2 0 ſinus.
```

Huius arcus eſt 4. grad. 26. min. cum additi 90. grad. producunt diſtantiam 94. grad. 26. min. quibus debentur miliaria communia germanica 1 4 1 6 $\frac{1}{2}$.

Differantia longitudinis minor quadrante.

Si autem longitudinis differentia minor 90. gradibus producatur, hac uia pocedito.

Primum, inueſtigato differentiæ longitudinis ſinum. Deinde, ſinum latitudinis ſeptentrionalis. Tertio, ſubtrahito latitudinem ſeptentrionalem à 90. gradibus, & relicti complementi ſinum etiam inquirito. Quarto, ſinum differentiæ longitudinis ducito in ſinum complenti latitudinis ſeptentrionalis, productum diuide per totum ſinum, prouenit ſinus, cuius arcum inquiſitum in canone à 90. gradibus ſubtrahe, & emergit arcus inuenti primi, cuius ſinum inquire. Quinto, ſinum latitudinis ſeptentrionalis multiplica in integrum ſinum, productum diuide per ſinum inuenti primi, & prodeũtis ſinus arcus inquiſitus ex canone ſubtrahatur à 180. gradibus, reſiduum erit complementum eius arcus ad ſemicirculum. Sexto latitudini auſtrali adde 90. gradus, cum producto conferatur complementum arcus ad ſemicirculum, Si arcus ex latitudine auſtrali & quadrante conflatus æqualis eſt complemento, loca quadrante integro ſeu miliaribus 1350. diſtabunt, nec uiteriore opus eſt inquiſitione. Septimo, ſi arcus is ex 90. gradibus & auſtrali latitudine, minor complemento fuerit, ſubtrahito eum arcum à complemento, & differentiæ ſinum inquirito. Octauo, Hunc ſinum multiplicato in ſinum

I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII.

primi

primi inuenti, & productum diuidito in totum ſinum, & prodit ſinus, cuius arcum inquiſitum ex tabula ſinuum auffer ex 90. gradibus, reliquum quod eſt, oſtendit diſtantiam in gradibus, quæ multiplicata per 15. & minuta diuiſa per 4. miliaria noſtratia producunt.

Exemplum huius ſecundi caſus.

Thyle inſula Ptolomæo limes terræ in ſeptentrionem habitabilis, continet longitudinem 33. grad. latitudinem ſeptentrionalem 63. grad.

Sancti Thomæ inſula in magno ſinu Aphricæ longitudinem habet 27. par. 20. min. latitudinem ab æquinoctiali in Auſtrum 16. grad.

Minore à maiori ſubtracta longitudine differentia relinquitur 5. par. 40. min. quæ eſt 90. gradibus minor, Ergo ſic procedo.

I.

Sinus differentiæ longitudinis eſt 9874 | 08.

II.

Sinus latitudinis ſeptentrionalis 89100 | 65.

III.

Subtracta latitudine ſeptentrionale à 90. gradibus relinquitur complementum 27. grad. cuius ſinus eſt 45399 | 05.

IIII.

45399 | 05 ſinus complementi.
Sinus differentiæ 9874 | 08 latitudinis ſepten.

181596
317793
363192
408591

4482 | 69726 (4482 ſinus.
1 | 00000

Huius arcus eſt 2. partium 34. min. qui detractus à 90. relinquit arcum inuenti primi 87. grad. 26. minut. ſinus huius arcus eſt 99899 | 68.

V.

100000 ſinus totus
89100 ſinus latitudinis ſepten.

89100000000 (89181 ſinus cuius
Sinus inuenti primi 99899

M arcus

arcus eſt 63. grad. 7. min. Hic ſubtractus à 180. partibus relinquit gradus 116. min. 53. complementũ ad ſemicirculum.

VI.

Latitudini auſtrali additi 90. gradus faciunt 106. gradus, qui collati cum complemento ad ſemicirculum deprehenduntur eſſe ipſo pauciores.

VII.

Subtracto igitur arcu ex latitudine auſtrali & quadrante conflato à complemento ad ſemicirculum ſupereſt differentia 10. gra. 35. min, ſinus differentiæ eſt 18880 | 98.

VIII.

99899 ſinus inuenti primi.
18880 ſinus differ. per 7. præcept. inuentæ.

799 1920
799192
799192
99899

18860|93120 Hoc productũ diuiditur per totum ſinũ id quod fit per abiectionem 5. figurarũ.

Eſt ergo productum diuiſionis 18860. ſinus cuius arcus eſt 10. partium 52. min. Hic à 90. gradibus ablatus reliquam facit diſtantiam horum locorum 79. parti. 8. min. quibus reſpondent miliaria noſtratia 1187.

Nono, ſi arcus ex 90. gradibus & latitudine auſtrali confectus maior fuerit complemento ad ſemicirculum, ſubtrahito complementum ab arcu iſto, & eius differentiæ ſinum inquirito.

Decimo, huic differentiæ ſinum multiplica per ſinum inuenti primi, & productum diuide per totum ſinum, & emerget ſinus, cuius arcus inquiſitus ex canone & additus 90. gradibus producit arcum diſtantiæ, qui in miliaria reſoluatur.

Exemplum caſus huius tertij.

Baſſam Taprobanæ Ptolomæus prodidit in longitudine continere gradus 126. in latitudine uerſus Auſtrum 6. partes 30. min. Stocholma Regia Sueciæ longitudinem 42. part. & 38. min. latitudinem uero ſeptentrionalem 60. part. & 30. minut. ſortita eſt.

Differentia

Differentia igitur longitudinis eſt 83. part. 22. min.

I.

Differentiæ ſinus eſt 9 9 3 3 0 | 5 7

II.

Sinus latitudinis borealis 8 7 0 3 5 | 5 7.

III.

Ablata ſeptentrionali latitudine à 90. gradibus relinquitur complementum latitudinis ſeptentriona. 29. grad. 30. minut. ſinus eius eſt 4 9 2 4 2 | 3 5.

IIII.

9 9 3 3 0 ſinus differentiæ.
4 9 2 4 2 ſinus complementi latitud.

1 9 8 6 6 0
3 9 7 3 2 0
1 9 8 6 6 0
8 9 3 9 7 0
3 9 7 3 2 0

4 8 9 1 2 | 0 7 8 6 0 (4 8 9 1 2 ſinus.
1 | 0 0 0 0 0

Arcus eius eſt 29 grad. 17. min. qui à 90. ſeu quadrante ablatus relinquit inuenti primi arcum 60. grad. 43. min. cuius ſinus inuenitur 8 7 2 2 1 | 1 6.

V.

8 7 0 3 5 ſinus latitudinis borealis
1 0 0 0 0 0 ſinus integer.

8 7 0 3 5 0 0 0 0 0 (9 9 7 8 6 Sinus, Ar-
Sinus inuen- 8 7 2 2 1
ti primi.

cus eius eſt 86. grad. 15. min. qui abſtractus à ſemicirculo ſeu 180. gradibus reliquum facit complementum ad ſemicirculum 93. grad. 45. min.

VI.

Latitudini auſtrali adiecti gradus 90. faciunt. 96. partium 30. min. arcum, qui eſt complemento maior. Ab eo igitur iuxta præceptum nonum complementum ſubtractum differentia reliqua eſt 2. partium 45. min. ſinus eius inuenitur 4 7 9 7 | 8 1.

VII.

Iuxta decimum præceptum hic differentiæ ſinus multiplicandus eſt per ſinum inuenti primi.

8 7 2 2 1 ſinus inuenti primi.
4 7 9 7 ſinus differentiæ 6. loco inuentæ.

6 1 0 5 4 7
7 8 4 9 8 9
6 1 0 5 4 7
3 4 8 8 8 4

4 1 8 3 | 9 8 1 3 7
1 | 0 0 0 0 0 (4 1 8 3 ſinus.

Arcum eius eſt 2. partium 24. min. qui adiunctus gradibus 90. reliquam facit diſtantiam 92. grad. 24. min. quibus debentur miliaria naſtratia 1 3 8 6.

Longitudinis differentia 90. gradibus maior.

I. Si uero longitudinis differentia maior fuerit quadrante. Pri-
mum longitudinis differentiam ſubtrahito à ſemicirculi ſeu 180.
II. gradibus, & differentiæ iſtius ſinum perquirito. Deinde ſinum
III. latitudinis borealis. Tertio, complementum latitudinis borea-
IIII. lis & eius ſinum. Quarto auſtrali latitudini adde 90. grad. re-
liquũ arcus dicitur ex quadrante & auſtrali latitudine conflatus.
V. Quinto, differentiæ ad ſemicirculum ſinum ducito in ſinum
complementi latitudinis borealis, & productum diuidito per to-
tum ſinum, & exurgit ſinus, cuius arcus inquiſitus à 90. gradib.
VI. ablatus parit arcum inuenti primi, cuius ſinum inueſtigato. Sex-
to, ſinus latitudinis borealis multiplicetur per totum ſinum, & productum diuidatur per ſinum inuenti primi, & editur ſinus, cuius arcum inquiſitum aufferto ab arcu ex quadrante & auſtrali latitudine conflato: ac differentiæ ſinum inueſtigatum multiplicato per ſinum inuenti primi, & productum diuidito per totum ſinum, producti ſinus arcus quadranti additus aperit locorum diſtantiam.

Exemplum.

Baſſæ Taprobanæ iuxta Ptolomæum habet longitudinem 126. grad. latitudinem Auſtrinam 6. grad. 30 min.

Erphordia Thuringiæ 28. grad. 30. min. latitudinem Borealem 51. grad. 10. min.

Differentia longitudinis eſt 97. grad. 30. min. maior quadrante. Ergo ea eſt abducenda à 180. gradibus ſemicirculi, & relinquitur arcus 82. grad. 30. min.

I.

Sinus huius ultimi arcus eſt 9 9 1 4 4 | 4 9.

II.

Sinus latitudinis borealis 7 7 8 9 7 | 3 3.

III.

Sublata latitudo ſeptentrionalis à 90. grad. complementum eius relinquit 38. grad. 50. min. cuius ſinus eſt 6 2 7 0 5 | 7 2.

IIII.

Auſtrali latitudini additi 90. gradus relinquunt arcum, qui ex auſtrali latitudine ei quadrante conflatus nominetur.

V.

```
          9 9 1 4 4  ſinus differentiæ.
          6 2 7 0 5  ſinus comple. latitudi. ſepten.
     ------------------------------------------
      4 9 5 7 2 0
    6 9 4 0 0 8
  1 9 8 2 8 8
5 9 4 8 6 4
------------------------------------------
6 2 1 6 8 | 2 4 5 2 0  ( 6 2 1 6 8 ſinus.
1         | 0 0 0 0 0
```

Arcus eius eſt 38. grad. 26. min. qui ablatus à 90. grad. relinquit arcum inuenti primi 51. grad. 34′. ſinus eius eſt 7 8 3 3 3 | 3 0.

VI.

```
              7 7 8 9 7  ſinus latitud. borealis.
            1 0 0 0 0 0  ſinus integer.
    7 7 8 9 7 0 0 0 0 0
    -------------------  ( 9 9 4 4 3. Arcus
Sin. inuent. primi  7 8 3 3 3
```

eius eſt 83. grad. 57. min. qui ablatus ab arcu ex quadrante & auſtrali latitudine conflatus relinquit differentiam 12. grad. 33. min. ſinus eius differentiæ eſt 2172916 quem multiplico per ſinum inuenti primi.

```
            7 8 3 3 3  ſinus inuenti primi.
            2 1 7 2 9  differentiæ iam inuentæ ſinus.
        ----------------------------------------
        7 0 4 9 9 7
      1 5 6 6 6 6
    5 4 8 3 3 1
    7 8 3 3 3
  1 5 6 6 6 6
------------------------------------------------
1 7 0 2 0 | 9 7 7 5 7  ( 1 7 0 2 0. Arcus eius 9.
1         | 0 0 0 0 0
```

 grad.

grad. 48. min. cui additus quadrans procreat diſtantiam quæſitam 99. grad. 48. minut. quibus reſpondent noſtrat a miliaria 1497.

Atqui hæc eſt diſtantiæ locorũ inueſtigandæ ratio Geometrica ex tabulis ſinuũ, quam hortor ut diligenter ſtudioſi exerceant, & fontes etiam præceptorum diſcere ſtudeant ex clariſſ. uiri D. Doctoris Caſparis Peuceri præceptoris mei obſeruandi libello, cuius hic noſter quaſi Epitome eſſe poteſt. Paucis nunc oſtendam quomodo es Ptolomæi Tabulæ conſtructæ ſint, quiq́ earũ ſit uſus, ac quomodo loci, quorum longitudo & latitudo nota eſt, in eiuſmodi tabulas Coſmographicas collocari debeant. Primum igitur ſumas pro libitu chartam maiorem aut minorem, & eius partem dextrã noſtræ reſpondentem pro ortu, ſiniſtram pro occaſu, ſuperiorem pro Borea, inferiorem pro meridie habeas. Cumq́ numeretur à meridie in ſeptentionem latitudo, longitudo uero ab occidente in ortum, extremitates chartæ in certos grad. plures uel pauciores diſtribuendæ ſunt hoc obſeruato, ut, ſi exactam & diſtinctã locorum ordinationem fieri cupias, inter ſingulos gradus tantum ſpacij relinquas, quo decimum quodq́ minutum an notari poſſit. Deinde gradib. & minutis longitudinis in ſuperiore & inferiori parte filum applica, uel occulta linea per regulam ducta nota. Tertio latitudinem eodem modo numerabis à meridie in auſtrum, & filo quoq́ uel occulta linea ſignabis, & ubi fila uel lineæ ſe mutuo orthogonaliter ſecant, ibidem locum tuum aſcribes. Atq́ ad eum modum omnes in tabulas locos referes, ut in ſubiecta tabella exemplum cernere licet.

Quomodo loci, quorum longitudo nota eſt in tabulas Coſmographicas referri debeant.

Eo, quo loci in tabulas collocantur, modo, longitudo & latitudo ex tabulis iam abſolutis rurſus inquiritur, ſi fila nimirum ita ducantur, ut ad rectos ſe angulos interſecent in ipſo loco, extremitates ſeu πέρατα filorum longitudines & latitudines exhibebunt.

FINIS.

TABV-

TABVLA LONGITVDI-
nis & latitudinis præcipuorum locorum ſecundum ordinem Alpha- beti diſpoſita.

A.

Ciuitates Europæ.	Longit. g	Longit. m	Latit. g	Latit. m
Argentina	27	52	48	47
auguſta	31	35	48	17
amberga	32	25	49	28
auracum ubi præfectum ſuperio- rem agit uir nobilitate generis, uir- tutibus, pietate, rerum bellicarum peritia, & multarum rerum & ua- riarum noticia excellens D. Nico- laus a Graueneck patronus meus ſin gularis	29	55	48	36
antuerpia	23	38	51	28
ambianum	16	40	49	49
andernacum	26	41	50	25
anſpachum	31	13	49	25
ariſtadium	31	41	51	2
aychiſtadium	31	56	48	51
abach	33	7	48	50
amberſee	32	7	47	55
aqueburgum	33	28	47	54
abenſperg	32	59	48	40
ærding	32	55	48	10
aſchitza	33	54	51	7
amſtelredama	24	26	52	49
arrhuſiæ daniæ	34	10	56	53
alba regalis	39	58	46	48
apollonia	45	6	40	10
aulonnaualis	44	50	39	56
arethuſa	50	10	41	15
arniſſa	45	20	40	40

	Longitudo g	Longitudo m	Latit. g	Latit. m
amantia	46	0	39	40
albanopolis	64	0	41	0
apſalus	46	20	41	5
amphipolis	50	0	41	30
ambratia	48	0	38	20
athenæ	52	45	37	15
anthedon	53	0	38	5
arelatum	22	4	43	18
aquenſis	24	30	43	40
almoiſa	46	40	44	45
arcobriga	5	40	39	35
auenio	22	4	43	52
aurelia	15	36	47	13
andauagia	13	49	46	0
aquiſgranum	22	24	51	0
abdera	52	10	41	45
aphrodiſia	53	35	41	40
aſopus	50	50	35	5
ancona	39	42	43	22
ariminum	38	12	43	50
aſſiſum	39	4	42	55
Aphricæ.				
abilis	7	50	35	40
apollinis ſacrum	31	40	32	20
apollinis promon.	15	30	33	40
ammonis	42	0	30	40
artagira	44	0	18	0
alexandria	60	30	31	0
alchayrium	61	50	29	50

	Longitudo		Latit.	
	g̃	m̄	g̃	m̄
andropolis	61	20	30	20
antinoe	62	5	28	10
apocopa	79	0	2	30
Aſiæ.				
alexandria Troas	55	25	40	40
alicarnaſſus	57	50	36	10
ancyra metro.	62	40	42	0
antiochia Pyſidiæ	62	30	39	0
albana	81	40	45	50
antiochia pat. Luc	70	15	37	20
adra	68	40	32	10
adrama	69	10	31	30
applonia Iudææ	96	0	32	15
aſcolon	65	0	31	40
archelais	66	30	31	30
arbela	80	0	37	15
aradripha	93	20	34	45
aræ Herculis	80	0	34	25
aſia ciuitas	80	10	31	40
axima	87	45	33	50
agris	96	30	23	0
armuſa	94	30	23	30
antropopha. ſcyth.	160	0	60	0
Inſulæ Europæ.				
andros inſula & ci.	55	0	37	12
achillis inſula alba	57	30	46	40
alopetia inſula	66	30	53	30
agatha inſula	22	30	42	10
Aphricæ.				
ara Palladis	66	10	21	30
agathonis inſu.	65	15	23	20
Aſiæ.				
alaba inſula auſt.	131	0	4	0
arana inſula auſt.	125	0	4	35
ammina inſula	117	0	4	30
ampelos extrema	56	10	37	10

	Longitudo		Latit.	
	g̃	m̄	g̃	m̄
arceſina	56	10	37	0
aſtypalæa	55	20	36	0
aradus	68	0	34	30
Americæ.				
archay cherſoneſus	303	0	5	0
B. Europæ oppida.				
burges	10	33	42	48
barſalona	17	0	41	35
badaioz	5	20	39	0
bracara	6	0	43	40
bizantium	22	20	47	36
burdigala	18	0	45	30
bruxella	23	28	51	4
buſcumducis	23	52	52	10
brugæ	21	19	51	30
bonna	26	35	50	47
badena Helue.	28	28	48	44
berna	27	30	46	25
baſilea	27	34	47	41
balinga	29	40	48	28
briſacum	27	33	48	6
bibracum	30	37	48	4
badena March.	28	28	48	44
bretta patria D. Philippi Melanthonis, humani generis luminis, & artium & Theologiæ ueræ inſtauratoris & illuſtratoris, præceptorisq́ mei obbſeruandiſſ.	29	9	49	5
bamberga	31	22	49	56
boſphorus	30	28	49	49
bathauia	34	45	48	42
brundunum	34	15	48	10
burguſium	34	3	48	4
brunna	37	12	49	8
budiſſa	35	2	51	0
buech	33	33	51	7

brun-

	Longitudo g̃	m̃	Latit. g̃	m̃
brunſuicum	31	12	52	34
brema	28	21	53	40
biburgum dani.	34	40	57	26
brandenburg	33	47	52	36
berlinum	34	48	52	51
bildæ lituaniæ	53	10	54	30
bergen norueg.	27	28	61	15
bellegradum	48	12	44	30
buda	40	56	47	0
brixia	33	12	46	6
bucephalum portus	51	25	36	45
buba	45	12	41	40
bononia	35	5	43	54
Aphricæ.				
baba	8	10	34	20
banaſa	6	30	34	20
benta	9	30	33	40
bizancina	37	50	30	45
butta	42	50	28	30
beronicæ	47	30	31	20
babiba	10	30	13	0
berenicæ	64	5	23	50
berithis	62	0	21	0
Aſiæ.				
bacchia	77	0	46	40
baruca	79	20	44	40
brizaca	74	50	42	30
babila	73	15	40	45
belconia	37	50	39	40
botrijs	67	30	34	5
